Ad Usum D. Basilii Scale


Ad usum D. Irenei J.

REGVLA
D·AVG·EPI·VNA CVM STATVTIS
ET ORDINARIO MONACHOR. EREMITAR.
CONGREGAT. D·HIER·AD VSVM EIVSDEM
congregationis de mandato capituli
Generalis edita



TICINI
Apud Ardizzonum et Rubeum Socios
De superiorum consensu




IDEM facimus, & attestamur Nos D. Balthasar de Sudatis à Mediolano, Congregationis Monachorũ Eremitarum Diui Hieronymi Præpositus Generalis, Regulam Diui Augustini, Statuta, ac Ordinarium Congregationis nostræ, secundum formam, qua in hoc Volumine sunt exarata; esse de mandato Capituli nostri Generalis compilata; Et ideò R. P. D. Iulio de Morigijs, Monasterij nostri Sancti Marini Papiæ Priori non solum facultatem facimus, sed etiam ad meritum Sanctæ Obedientiæ iniungimus, vt, seruatis seruandis, ea secundum eandem formam ad vsum Monachorum nostrorum quàmprimùm typis mandanda curet. In quorum fidem, & testimonium has nostras per infrascriptum Cancellarium nostrum fieri, ac solito officij nostri sigillo muniri iussimus, eisq; manibus proprijs subscripsimus. Dat in nostro Monasterio Sãcti Petri de Hospitaletto, Diœcesis Laudensis, die vltima mẽsis Octob. anni, 1613.

Don Balthasar Sudatus à Mediolano Præpositus Generalis.

Locus † Sigilli.

D. Horatius Maghenzanus Cancell. de mandato.


N hac Regula Diui Augustini Hipponensis Episcopi, vnà cum Statutis, & Ordinario Monachorum Eremitarum Diui Hieronymi, nihil censura dignum animaduerti. Cùm verò quæ in ipsis continentur cùm fidei orthodoxæ, tùm Sanctorum Patrum monimentis, Conciliorumq; ac Summorum Pontificum sanctionibus consentanea, & ad regularem disciplinam promouendam, conseruandam, augendamq; valdè accommodata sint, digna sunt, quæ ad commodiorem eorundẽ Monachorum vsum, sicut eiusdem Congregationis Capituli Generalis Decreto sancitum est, typis imprimantur.

D. Matthias Guarguantus Congregationis Cler. Reg. S. Pauli, S. Officij Papiæ Consultor Theologus.

IMPRIMATVR.


Fr. Maximus Guazzonus Inquisitor Generalis Papiæ.

† 2 *AD*




AD DIVVM HIERONYMVM Monachorum Eremitarum Patrem deuota Acclamatio.

Salue magne Pater, cuius sub nomine sacrum
Hunc habitum, & legum dulce iugum ferimus.
Eximio candore micans, qui valde laboras
Doctrinis sacris, nocte, diuq; vigil.
Hæreticas fraudes, atq; impia dogmata frangis:
Et tenebras noctis Sole oriente fugas.
Horrida deserti, Patriæ Cœlestis amore,
Excolis, assiduis fletibus, & gemitu.
Stratus humi, multis tua pectora tundere nunquàm
Verberibus Christi desinis ante pedes;
Ni prius è Cœlo descendat lumen aperto,
Visus & Angelicis lætus adesse choris.
Alme Pater placido post tot, tantosq; labores
Qui frueris portu, gaudia vera tenens:
Eloquij fonte ad vitam saliente perhennem,
Arida de sacro pectore corda riga,
Quo mores, vitamq; tuam, legesq; beatas
Sectemur totis viribus, atq; animo:
Auspicijs, ductuq; tuo nos temnere Mundum.
Et tecum æterna pace frui liceat.




DEVOTÆ MONACHORVM ACCLAMATIONI.


Responsio.



GRata Corona mihi Monachorum tu quoq; salue;
En te complector, in Dominoq; fruor.
Quod sonat exterius nomen, signatq; cucullus,
Intus sic mores instituisse decet.
Iuxtà præscriptam sese componere formam
Nunc quisq; inuigilet: primitus hoc studeat.
Christi iungat amor cunctorum pectora; palmes
Multum fert fructum, si in vite permaneat.
Lex nisi certa regat, sis recti tramitis anceps;
Est benè promeritus qui tibi monstrat iter:
Tu . . . . hoc præstas, ò zelo incense Paterno;
Prospicis vt cunctis, sic tibi perpes honos.
Te grauior quem cura gregis mi . . . . vrget
Perpetuo vt prosis, præmia digna manent.



AD DIVVM




AD DIVVM PATREM HIERONYMVM.

Don Leandri Dulciani Monachi Hieronymiani.

Hymnus.

ECce qui septus nebula relucet
Lucifer sanctus, quasi luna plena
Nocte resplendens, quasi sol diurna
Luce refulgens.
Ecce vas auri solidum lapillis
Indicis comptum, cyprios odores
Lilium spirans, rosa sanctitatis
Florida semper.
Armiger sanctæ fidei, rebelles
Comprimas motus, inimica frangas
Tela, prostratos releues, athletas
Robore firmes.
Hinc tua demum prece restituti,
Sint odor Christi bonus, atq; sanctis
Sancta vox passim radiata factis
Sancta loquatur.



AD

AD EVNDEM

Alter.

O Dux Pater Hieronyme
Et signifer colentium
Deserta, Sydus aureum
Sancta micans Ecclesia.
O cuius admirabilis
Sacrum iubar scientiæ
Obscuriores hæresum
Disperdidit fallacias.
Dextra tua fulgentibus
Armis datisq; desuper
Succurre præliantibus
In fraudulentis vallibus.
Tum consequutos impijs
Ex hostibus victoriam,
Communiant nos veritas,
Et Montis alti culmina.

AD EVNDEM

Don Pij de Rubeis Placentini, eiusdem Congregationis Monachi.


Hymnus.

DIscedant nebulæ, purior arduos
Sol lustret nitida lampade tramites
Dum laudes canimus, quas damus inclytas
Diuo Patri Hieronymo.
Nunc cuncti ad rigidos se referant specus,
Hic vernis capiant lilia cum rosis;
Nam dumi steriles qui fuerant diu
Cæli dabunt delicias.
En sacræ Moyses qui freta pagina
Miranda calami cuspide temperat;
Vt fidus populus cærula gestiens
Sicco traijciat pede.
Si gens quam cruciat dira sitis, cupit
Lymphas hic rigida caute ciet latices;
Dant duri silices quæ sitientibus
Prosint infrigida flumina.
Ille AEgiptiacæ fons sapientiæ;
Linguarum genere hic multiplici nitens;
Errorum domitor pessima dogmata
Christo sustulit auspice.
Sed quis Sanctæ Senex oris opes tui
Diuinum ingenij recinat decus?
Iam nec ferrea vox, pectora nec decem
Laudes sat referant tuas.

INCIPIT



INCIPIT REGVLA DIVI AVGVSTINI. HIPPONENSIS EPISCOPI.





1 NTE omnia, fratres chariſſimi, diligatur Deus, deindè proximus, quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt, quæ, vt obſeruetis, præcipimus in Monaſterio constituti. Primum, propter quod in vnũ eſtis cõngregati, vt vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo.

2 Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia; Et diſtribuatur vnicuiq; veſtrũ à Præpoſito veſtro victus, & regumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potius

vnicuiq; ſicut cuiq; opus erit: Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum: Quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuiq; , ſicut cuiq; opus erat. Qui aliquid habebant in ſęculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium, libenter velint, illud eſſe commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt: Sed tamen eorum infirmitati quod opus eſt tribuatur, etiam ſi paupertas eorum, quandò foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. Tamen non ideò putent, ſe eſſe fęlices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, qualę foris inuenire non poterant.

3 Nec erigant ceruicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant, nè incipiant Monaſteria eſſe diuitibus vtilia, non pauperibus; ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rurſus etiam illi, qui aliquid videbantur eſſe in ſęculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant, non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrũ ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerint; Nec de ſuis diuitijs magis ſuperbiant, quia eas Monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſęculo fruerentur. Alia quippè quæcunq; iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant, ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Et quid prodeſt diſpergere dando pauperibus, & pauperem fieri, ſi anima miſera ſuperbior efficitur, diuitias

contemnendo, quam fuerat possidendo? Omnes ergò vnanimiter, & concorditer viuite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti estis.

4 Orationibus instate horis, & temporibus constitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vndè & nomen accepit, vt si fortè aliqui, etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Psalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce: Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Quod autem non ità scriptum est vt cantetur, non cantetur.

5 Carnem vestram domate ieiunijs, & abstinentia escæ, & potus, quantum valetudo permittit. Quandò autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.

6 Cum acceditis ad mensam, donec indè surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite, nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.

7 Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet alijs molestum esse, nec iniustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et si eis, qui venerũt ex moribus delicatioribus ad Monasterium, aliquid alimen-

torum, vestimentorum, operimẽtorumuè datur, quod alijs fortioribus, & ideò fœlicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de sua sęculari vita illi ad istam descẽderint, quamuis vsq; ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire nequiuerint. Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur accipere, nè contingat detestanda peruersitas, vt in Monasterio, vbi quantum possunt fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, nè grauentur, ità & post ægritudinem sic tractandi sunt, vt citius recreentur, etiam si de humillima sęculi paupertate venerint, tamquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cum vires pristinas reparauerint, redeant ad fęliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tantò amplius decet quantò minus indigent: Nec cibi eos teneat voluptas iàm vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos. Illos æstiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim minus egere, quam plus possidere.

8 Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quandò proceditis, simùl ambulate. Cum veneritis, quò itis, simul state. In incessu, statu, habitu, & in omnibus moribus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur. Neq; enim

enim quandò proceditis, fœminas videre prohibemini, sed appetere, vel ab ipsis appeti velle criminosum est. Nec solo tactu, sed affectu quoq;, & aspectu appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Et cum seinuicem sibimet (etiam tacente lingua) conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet qui in fœminam figit oculum, vel illius in seipsum diligit fixum, ab alijs se non videri, cum hoc fecerit. Videtur omninò, & à quibus se videri non arbitratur. Sed eccè lateat, & à nemine hominum videatur. Quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? An ideò putandus est non videre, quia tantò videt patientius, quantò sapientius? Illi ergo timeat vir sanctus displicere, nè velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, nè velit fœminam malè videre: Illius enim & in hac causa commendatus est timor, vbi scriptum est. Abominatio est Domino defigens oculum. Quandò ergo simul estis in Ecclesia, & vbicunq; fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiã custodite; Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

9 Etsi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, nè malè cępta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si

autem,

autem & post admonitionem iterum, vel alio quocũq; die idipsum eum facere videritis, iàm velut vulneratum sanãdum prodat quicunq; hoc inuenire potuerit. Prius tamen est alteri, vel tertio demonstrandum, vt duorum, vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coerceri. Nec vos iudicetis esse maleuolos, quandò hoc indicatis. Magis quippè innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet seccari, nónnè crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergo potius debes manifestare, nè deterius putrescat in corde? Sed antequam alijs demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit, prius Præposito debet ostendi. Si admonitus neglexerit, corrigi, nè fortè possit secretius correptus non innotescere cęteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij, vt iám coram omnibus possit non ab vno teste argui, sed à duobus, tribusuè conuinci. Conuinctus verò secundum Præpositi, vel etiam Presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam, quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proijciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, nè contagione pestifera plurimos perdat. Et hoc, quod dixi dè oculo nõ figẽdo, etiã in cęteris inueniendis, prohibẽdis, iudicandis, conuincendis, vindicandisq; peccatis diligẽter, & fideliter obseruetur cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quicunq; autem in tantum progressus

fuerit

fuerit malum, vt occultè ab aliquo litteras, vel quoduis munus accipiat, si hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo: Si autem depræhenditur, & conuincitur, secundum arbitrium Præpositi, vel Presbyteri grauius emendetur.

10 Vestes vestras in vnum habeatis sub vno custode, vel duobus, vel quot sufficere poterint ad eas excutiendas, nè à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno Cellario, sic induimini ex vno Vestiario. Si fieri potest, àd vos non pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnusquisq; quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat, dum tamen vnicuiq;, prout cuiq; opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, cum quæritur aliquis; se deterius accepisse, quàm prius habuerat, & indignum se esse, qui non ità vestiatur, vt alius frater eius vestiebatur; Hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si sic vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod deposueratis, in vnum tamen locum sub communibus custodibus habete quod ponitis, ità sanè vt nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant maiori studio, & frequentiori alacritate, quàm si vobis singulis propria faceretis: Charitas enim, de qua scriptum est, quod non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideò quantò amplius rem communem, quàm propria vestra curaueritis, tātò amplius vos proficere

ficere noueritis, vt in omnibus, quibus vtitur transitura necessitas, supereminеat quę permanet charitas. Consequens ergò est, vt etiam qui filijs suis, vel aliqua necessitate ad se pertinentibus in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, siuè quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactũ, cui necessarium fuerit, præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Indumenta vestra secundum arbitrium Præpositi lauentur, siuè à vobis, siuè à fullonibus, nè interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

11 Lauacrum etiam corpori, cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur: fiat tamen sinè murmure de consilio medicinæ, ità vt etiam, si nolit, iubente Præposito faciat quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur, aliquandò enim, etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat. Deniq; si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sinè dubitatione credatur; sed tamen vtrũ sanando illi dolori quod delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur. Nec eant ad balnea, seù quocunq; ire necesse fuerit, minusquàm duo, vel tres, & ille, qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit, ire debebit. Ægrotantium cura, siuè post ægritudinem reficiendorum, siuè aliqua imbecillitate, etiam sinè febribus laborantium, alicui debet iniungi, vt ipse de Cellario petat, quod cuiq; opus esse perspexerit.

12 Siuè

12 Siuè autem qui cellario, siuè qui vestibus, siuè qui codicibus præponuntur, sinè murmure seruiant fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur. Extrà horam qui petierit, non accipiat. Vestimenta verò, & calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

13 Lites aut nullas habeatis, aut quamcelerrimè finiatis, nè ira crescat in odium, & trabem faciat dè festuca, & animam faciat homicidam: Sic enim legitis. Qui odit fratrem suum, homicida est. Quicunque conuicio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quàtotius curare quod fecit, & ille, qui læsus est, sinè disceptatione dimittere. Si autem inuicem se læserint, inuicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras, quas vtique quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis. Melior est autem qui quamuis ira sæpè tentetur, tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui autem non vult dimittere fratri, non speret orationis effectum. Qui verò nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sinè causa est in Monasterio, etiam si indè nō proijciatur. Proindè vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vndè facta sunt vulnera. Quandò autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, etiam si ipsi

modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt á vobis subditis ueniam postuletis, nè apud eos, quos oportet esse subiectos, dùm nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas: Sed tantum petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit, etiam eos, quos plus iusto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.


14 Præposito tamquam patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.

15 Vt ergò cuncta ista seruentur, & si quid minùs seruatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandum, corrigendumq; curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior auctoritas refferat, quod modum, vel vires eius excedit. Ipse verò, qui vobis præest non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis; timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circà omnes seipsum bonorum operum prębeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuēdus imponat. Et quamuis vtrunq; sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat, quam timeri, semper cogitans, Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vndè & vos magis obediendo non solum vestri, verum etiam ipsius misereminì, qui inter vos quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori uersatur. Donet Dominus, ut obseruetis hæc omnia tamquam spirita-


Iis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore dè bona conuersatione fragrantes, non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti.

16 Vt autem uos in hoc libello tamquàm in speculo possitis inspicere, nè per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana uobis legatur: Et ubi uos inueneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicunq; uestrum uiderit deesse aliquid, doleat de præterito, caueat de futuro, orans, ut & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.





SVMMARIVM REGVLÆ BEATI AVGVSTINI EPISCOPI.






VIC Regulæ aſtrictus hæc debet facere. Primum ut cum Fratribus concorditer uiuat. Cor ſuum in Deo habeat. Non habeat, nec dicat aliquid proprium. Superflua non quęrat. Si dè ſæculo pauper uenerit, dè diuitum, & nobilium ſocietate non ſe erigat. Si diues, & nobilis, pauperes fratres non contemnat. Superbiam caueat. In bono libenter oret, & tunc hoc uerſetur in corde, quod profertur in ore. In menſa attentè audiat lectionem. Si infirmi, aut debiles aliter, quam ipſe, tractantur in uictu, aut ueſtitu, moleſtè non ferat. Non delectet eum ueſtium pulchritudo, nec apperat ueſtibus placere, ſed moribus. In omnibus motibus ſuis nihil faciat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod eius deceat ſanctitatem.

Caueat oculorum petulantiam. Semper ſe uideri à Domino cogitet, ac illum ſemper timeat. Si Fratrem peccantem uiderit, ex charitate corrigat. Diſciplinam diligat, eamq; libenter ſuſcipiat. Habeat dilectionem hominum, & odium uitiorum. Nihil occultè ſuſcipiat. Non contendat. Non murmuret. Plus cogitet de communi, quàm de proprio bono. Rem ſibi collatam, Præpoſito iubente, reddat. Non eat ſolus. Lites non habeat, & ſi habuerit, quam citius finiat. Si quem læſerit, promptè ſatisfaciat. Si læſus fuerit, libenter dimittat. Caueat iram. Dura uerba non dicat. Prælatis, ac ſuperioribꝰ ſuis ex animo obediat, ac eis exhibeat reuerentiam. Ordinem, ac Religionem propriam diligat. Regulam frequenter legat, in eaq; tamquam in ſpeculo ſe inſpiciat, & cum fecerit quæ in illa ſcripta ſũt, Domino Deo gratias referat: Vbi uerò uiderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, & de futuro caueat. Oret ut ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.


INDEX CAPITVM REGVLÆ DIVI Augustini, secundum diuisionem Vgonis dè Sancto Victore, quæ marginibus huius æditionis per numeros annotantur.



STATVTA CONGREGATIONIS MONACHORVM EREMITARVM DIVI HIERONYMI.

PER SVMMOS PONTIFICES MARTINVM Quintum, & Sistum Quartum olim confirmata, & demum de mandato Capituli Generalis reformata, & pristino, probatoq; viuendi modò accomodata,


Ac per Sanctissimum Pontificem Paulum Quintum, sub eadem forma, particulari Decreto perpetuò conualidata anno 1611.



Impressa Anno Salutis. 1614.

Copia Breuis pro confirmatione Statutorum reformatorum.

PAVLVS PAPA QVINTVS.



D Perpetuam rei memoriam. *Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filij Prior Generalis, & Monachi Congregationis Monacharum Eremitarum Sancti Hieronymi, quod eorum Congragationis, & Ordinis Regularia Statuta per fœc. rec. Martinum V. & Sixtum IV. Romanos Pontifices, prædecessores nostros confirmata, ex* Decreto *Capituli Generalis, & etiam de mandato Venerabilis Fratris nostri Antonij Mariæ Episcopi Prænestin. S. R. E. Cardinalis Galli nuncupati, eiusdem Congregationis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, reformata fuerũt, & de mandato nostro à dilecto filio nostro Ioanne Garzia, tituli Sãctorum Quatuor Coronatorum. S. R. E. Cardinale Millino nuncupato, recognita, & approbata tenoris subsequentis, vz. Ad laudem, & gloriam Sanctissimæ, & Indiuiduæ Trinitatis &c. Incipiunt Statuta Congregationis Monachorum Eremitarum eiusdem Sancti Patris Hieronymi &c. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi Statuta huiusmodi pro pleniori illorum ualiditate, & obseruãtia, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri plurimum desiderent; Nobis propterea dilectus etiam filius Balthasar Sudatus, dictæ Congregationis, Procurator generalis, eorundem Prioris, & Congregationis nomine humiliter supplicari fecit, ut super præmissis opportunè prouidere dè benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictos Monachos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi uolentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, uel ab homine quauis occasione, uel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos esse censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Statuta prædicta Apostolica auctoritate tenore præsentim perpetuò confirmamus, & approbamus, illisq; inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus; ac omnes, & singulos, tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus, ipsaq; Statuta in eadem Congregatione perpetuò obseruari, sicq; per quoscunq; Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & innane quidquid secus super his à quocunq; quauis auctoritate, scienter, uel ignoranter contigerit atientari decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die* 10. *Maij* 1611. *Pontificatus nostri. Anno sexto.*

S. Cobellutius.

Locus † sigilli.

Tenor uerò Statutorum est.

A D

Ad laudem, & gloriam Sanctissimæ, & Indiuiduæ Trinitatis, ac honorem Beatissimę semper Virginis Mariæ, Patrisq; nostri Gloriosiss. Hieronymi, & omnium Sanctorum.

INCIPIVNT STATVTA CONGREGATIONIS Monachorum Eremitarum eiusdem Sancti Patris Hieronymi, reformata anno 1610. per Patres ad id delectos per Illustrissimum, ac Reuerendissimum DD. Antonium Mariam Episcopum Prænestinum S.R.E. Cardinalem Gallum nuncupatum, eiusdem Congregationis à sancta Sede Apostolica Protectorem deputatum.

Præfatio.



VONIAM personis, sub suaui Religionis iugo Dei seruitio dicatis, omnia habere ordinata maximè cõuenit, & benè disposita; indè enim Religiones Ordinum nomen fuerũt consequtæ, quia scilicet omnes in eis degentes sub quibusdam ordinibus, quoad cuiusq; Religionis principalia instituta regantur, & viuant: Ideò Maiores nostri in generali Capitulo congregati quæ-

dam Statuta sibi, & posteris assumpserunt, sub quibus viuere, stare, & profiteri, ac prædictæ Congregationis Monasteria, loca, & personas regere, & gubernare tenerentur. Cum nihilominus omnis lex humana secundum diuersam temporum, locorum, ac personarum rationem (maximè quæ alterius dispositioni, & auctoritati subiacet) mutetur; ob idq; necesse sit huiusmodi leges quandòq; reformare, & temporum, ac aliarum circunstantiarum rationi, superiorumq; dispositionibus accommodare. Hinc nos Prępositus Generalis dictæ Congregationis, & Monachi reformationi prędictorum Statutorum, vt supra, præfecti, nolentes de hoc opportuno remedio nostræ Congregationi vllatenus deficere, Statuta huiusmodi à Maioribus nostris assumpta, secundum reformationem à nobis factam, de nouo nobis, alijsq; dictæ Congregationis Monachis, & Fratribus pręsentibus, & futuris assumimus, volumusq; nos deinceps teneri sub eis ità reformatis viuere, & stare, ac Monasteria, loca, & personas prædictæ Congregationis regere, & gubernare, posterosq; ad hanc Congregationem venturos sub eis profiteri.

De obseruandis circa officium Diuinum.

CAPVT I.

CVM debita Diuini officij persolutio sit potissimum Clericorum opus; volumus idcircò inprimis, ac statuimus, vt officium Diuinum in nostra

Congre-

Congregatione iuxtà Breuiarij, & Missalis Curiæ Romanæ de mandato Sanctæ Sedis reformati, vel pro tempore reformandi rubricas distinctè, punctuatim, ac deuotè faciamus, seù dicamus, quatenus, iuxta paternã Diui Augustini in Regula traditionem, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.

2. Dicaturq; totum in Choro temporibus statutis, necnon officium B. Mariæ, ac Psalmi Pęnitentiales, & Graduales, & officium à Mortuis, quotiescunq; iuxtà prædictas rubricas huiusmodi sunt dicenda, ac Missa cõuentualis singulis diebus celebretur in omnibus Ecclesijs Monasteriorum nostrorum, vel decantetur, vbi commodè fieri potest.

3. Et quoniam etiam in eisdem rubricis admittitur, vt præter sanctos, qui sunt Calẽdario Romano adscripti, apud singulas Religiones, & Congregationes de illis quoq; sanctis fiat officium, quorum dies festiui, iuxtà earundem Religionum, & Congregationum approbatum morem, in earum Ecclesijs consueuerunt celebrari: Ideò nè diuersitas circà hoc in Congregatione nostra amplius oriatur, describantur in nostro Ordinario sigillatim horum sanctorum dies, quorum apud nos est approbatus vsus, vt in nostris Ecclesijs eorum officia fiant, & sub quo officio celebrari debeant exprimatur. Nec deinceps circà hoc aliqua fieri liceat immutatio, aut innouatio, nisi re per Capitulum generale diligenter prius discussa, & ex valdè rationabili causa per particulare eius decretum admittenda, cui Capitulo generali tantũ hanc facultatẽ reseruatã esse volumus.

4. Cumque apud Deum maximè ſit meritoria frequens, & ex animo pro defunctis deprӕcatio, nec maiorem poſſint ſerui Dei repehendere grati animi ſignificationem, quàm vt benefactorum animas aſſiduis, & deuotiſſimis orationibus, quantum poſſunt, enitantur iuuare: Ideò volumus, vt in omnibus Monaſteriorum noſtrorum Eccleſijs deuotè dicantur in Choro ſuis tẽporibus officia à mortuis, tùm ſtatuta vt ſupra ex rubricis breuiarij, tùm conſueta ſecundum vſum noſtrӕ Cõgregationis, vel ordinata in Capitulis generalibus, tùm debita ex obligationibus diuerſis temporibus noſtris Monaſterijs, & locis ſuſceptis. Ac celebrentur pro eiſdem Miſſӕ conuentuales, & priuatę, recitenturq; à Clericis officia priuatim, & à laycis Fratribus conſuetӕ deprӕcationes ſecundum ſingulorum declarationem faciendam in Ordinario. Fiat prӕterea in noſtris publicis, & priuatis orationibus frequens, & deuota fratrum, ac benefactorum noſtrorum defunctorum memoria, vt Deo miſerante, eorum animӕ verum refrigerium, ac perfectam quietem in Cœlis quamprimum recipere mereantur.

5. Quoniam verò omnes decet Diuinam bonitatem, quantùm pro ſtatu ſuo cuilibet datur, laudibus celebrare; Ideò volumus, Fratres noſtros Conuerſos, Commiſſos, ac Donatos, ſeu Oblatos ad recitationem quoq; proprij officij ſingulis diebus teneri: Ità vt Conuerſi pro Matutinis dicant quotidie. 33. pro Veſperis 12. pro qualibet autem cœterarum horarum, ſcilicet Prima, Tertia, Sexta, Nona, ac Completorio. 7. Pater noſter

cum

cum Aue Maria, ac ad magis exprimendam Diuinam laudem addant in fine cuiuslibet. Gloria Patri &c. Sicut erat &c. Dicant etiam quotidiè pro benefactoribus viuis, & defunctis. 10. Pater noster cum Aue Maria, quorum quinq; pro viuis terminent cum Gloria Patri &c.& alia quinq; pro defunctis terminent cum requiem æternam &c. Commissi verò, & Donati, seù Oblati dicant quotidiè pro toto suo officio 33. Pater noster cum Aue Maria, & ea concludant cum Gloria Patri &c. vtsupra. Dicant etiam pro benefactoribus singulis diebus 10. Pater noster vtsupra quemadmodum Cōuersi.

6. Sciantq; huiusmodi Fratres nostri, eos in gremio Religionis nobiscum in vinculo pacis, ac charitatis esse receptos, & participes esse omnium gratiarum, priuilegiorum, & concessionum tàm spiritualium, quàm tēporalium; quæ à Summis Pontificibus, vel ab alijs nostræ Congregationi, eius locis, & personis quomodolibet fuerunt concessæ, vel in futurum concedentur.

Quomodo Monachi debeant tempus quotidianum impendere, & de silentio locis, & temporibus debitis seruando.

CAPVT II.

7. QVia nihil est tempore prætiosius, tenenturque ob id præsertim personæ Deo dicatæ, illud cautè, & benè impendere. Volumus, quod nostræ quotidianæ actiones hoc modo disponantur; Videlicet per totum annum media nocte, vel quasi dicantur Ma-

tutinæ

tutinæ preces, quibus expletis Monachi orent aliquantulum ad nutum Prioris. Hæc tamen oratio, vt communiter, non dilongetur vltrà dimidium horæ, vel quasi. In solis autem ortu, vel alio tempore opportuniori, secundum consuetudinem locorum, pulsetur ad Primã, infrà quam pulsationem illicò præteritæ hebdomadæ hebdomadarius, vel alius eius loco dicat primam Missam, & successiuè qui voluerint, vel debuerint celebrare, celebrent, secũdum ordinem statuendum à Vicario, si itá expedierit. Prædicta autem prima Missa ad minus semel in hebdomada dicatur pro defunctis Fratribus, & benefactoribus Congregationis. Finita autem Prima sit competens hora ad orandum, vel legendum, qua transacta pulsetur ad Tertiam, post quam, vel post Sextam diebus ferialibus, dicatur, vel decantetur Missa conuentualis; & ea expleta, vel Sexta absoluta eatur ad prandium diebus, quibus non ieiunatur. Diebus autẽ ieiunij, post Sextam occupentur Monachi vsq; ad Nonam in studijs, vel alijs exercitijs honestioribus, etiam ad dispositionem Prioris, si ei videbitur. Nona autem, ac Missa conuentuali his diebus ieiunij absolutis eant Monachi ad cœnam, ad quam, sicut, & ad prandium, ac collationem semper aliqua spiritualis, & proficua habeatur lectio, ac aliquis ex Monachis iunioribus cœteris deseruiat. Post refectionem verò, ac de more in Ecclesia gratiarum actionem, transacta vna hora, vel quasi ad honestas, ac proficuas collocutiones, ac ad lectiones à Nouitijs preuidendas, pulsetur à festo Resurrectionis Domini vsq; ad Calendas Octobris ad dormitionem

diurnam,

diurnam,& tunc se recipiant Monachi ad suas cellas ad dormiendum,uel quiescendum. Post quam dormitionem, uel reliquo tempore post gratiarum actionem dicatur Nona,uel officium defunctorum,si sit dicendum. Quibus expeditis uacent Monachi iterum studijs, lectioni, orationi, uel alijs honestis occupationibus usq; ad Vesperas,nisi aliter fuerint per obedientiam occupapati. Diebus tamen Dominicis, ac alijs festis colendis statim post Nonam, uel officium defunctorum legatur in Capitulo à Superiore lectio communis, uernaculo idiomate, ex uitis Sanctorum, secundum exigentiam temporum, per dimidium horæ, uel quasi. Hora autem competenti pulsetur ad Vesperas, quibus dictis implicentur iterum Monachi utsuprà. Hora similiter conuenienti pulsetur ad Completorium,post cuius initiũ legatur in Capitulo aliqua lectio ex Sacra Scriptura, uel ex Patribus,uel casuum conscientiæ iuxta Decretum Concilij Tridentini, duratura ad nutum Prioris,ac deindè proficiscãtur ad Chorum,& ut in Ordinario, Et absoluto Completorio orent secretè per dimidiũ horæ, uel quasi, ac pulsato interim Cymbalo ad conuocandum Fratres Laycos ad benedictionem à Superiore, uel etiam Indulgentias stationum, si opus sit percipiendas (quo casu poterit abbreuiari oratio)Prior,seù Vicarius in eius absentia, hysopum cum aqua benedicta de manu Versicularij accipiat,& omnes antè Altare super facies suas prostratos aspergat, ac benedicat de more. Post quam benedictionem de Ecclesia egrediendo,temporibus æstiuis proficiscantur ad cęnam,uel ientaculum,

taculum, seù collationem diebus ieiunij, hyemalibus uerò temporibus se recipiant ad suas cellas, uel alibi, ut ibi occupentur in studijs, uel lectionibus utsuprà, donec hora competenti, secundum Prioris dispositionem, eāt ad cœnam, uel ientaculum. Quibus perfectis, ac post refectionem, & gratiarum actionem, honestamque, ac utilem inter se uerborum alloquutionem, ac præstitis alijs necessitatis operibus, spatio vnius horæ, vel quasi pulsetur ad dormitionē nocturnam, ac statim omnes se ad suos lectos recipiant, vt ibi in Domino quiescant.

8. Volumus autem, nostros superiores posse dispensare in hora Matutinorum, maximè vbi paucus est admodum Monachorum numerus, & occasione studiorum, scilicet vt magis, vel minus differatur, ac studijs accomodetur, sic etiam de alijs horis, dummodò talis excessus non fiat, qui contradicat probato Congregationis nostræ instituto.

9. Et quoniam à sapiente dictum est. Mors, & vita in manibus linguæ sunt, & iuxtá vulgatum illud, à bonis quoque sæpè silendum est; Ideò volumus, quod silentium in nostris Monasterijs obseruetur his temporibus, & locis; scilicet à pulsu Completorij, vsquè ad Primam sequentis diei, & à pulsu dormitionis diurnę vsquè ad Nonam tempore, quo in die dormitur. Similiter autem omni tempore seruetur silentium in Choro Ecclesiæ, in mensa, in Claustro principali, in Refectorio, in Dormitorio, in Cameris priuatis, ac in Cellis Monachorum, & Fratrum; Quas quidem Cellas, vt communiter, absque Prioris licentia nulli ingredi licebit.

De

De disciplina fienda, & culpis dicendis.

CAPVT III.

10. VOlumus quoque, quod sextis ferijs (diebus tantùm præcipuis colendis exceptis) in memoriam Passionis Domini Nostri Iesu Christi, fiat post Completorium in Capitulo disciplina communis, cùm Psalmo Miserere, ac oratione secundum consuetudinem, & formã, vt in Ordinario. Si verò in aliquo Monasteriorum prædictam disciplinã pluries in hebdomada Priores fieri voluerint, id non solùm non prohibemus, sed in Domino vehementer hortamur.

11. Eisdem quoq; sextis ferijs loco, & tempore consuetis, præmisso de more sono Campanulæ ad conuocandum Monachos, & Fratres, teneatur Capitulum commune culparum, in quò per omnes antè Superiorem super facies suas prostratos dicantur sigillatim culpę, ac per eundem Superiorem pœnitentiæ imponantur; Et fiat omninò secundum modum, & formam, vt in Ordinario. Et hoc nisi sexta feria occurrat festum à populo colendum, huiusmodi enim festo tali die occurrente teneatur Capitulum culparũ Sabbato sequente, vel alia eiusdem hebdomadæ die, ad dispositionem Prioris. Si tamen Prioribus videbitur, vt quibusdam alijs diebus, secundum morẽ antiquum, dicantur quoq; post Matutinum culpæ breues, hoc pariter, & admittimus, & in Domino monemus.

12. In Capitulo verò culparum nullus, præterquam

ex charitate proclamans, niſi à Superiore interrogatus, aut iuſſus, vel ſaltem de expreſſa illius licentia loqui præſumat, idq; omni reuerentia, ac humilitate pręſtet, culpas ſuas non excuſando, non mendaciter negando, vel malitioſè occultando, ſed potiùs erubeſcendo, ſpontè confitendo, & correctioni, ac pœnitentiæ humiliter ſe ſubmittendo, in his enim magnum iſtius ab antiquo in Religionibus optima ratione inſtituti actus meritum ſitum eſt.

De obſeruandis circà ieiunia, & abſtinentias.

CAPVT IV.

13 QVoniam in Regula ſcriptum eſt. Carnem veſtram domate ieiunijs, & abſtinentia eſcæ, & potus, quantùm valetudo permittit; Et ieiunia maximè eleuant Monachum, hominem ſcilicet contemplatiuum, ad cœleſtium conſiderationem: Ideò volumus, ac diſtrictè mandamus, vt præter Quadrageſimam, ac Aduentum Domini, & omnia alia ieiunia à Sancta matre Eccleſia ſtatuta, vel ſtatuenda, quę inuiolabiliter, & ad vnguem ab omnibus noſtri inſtituti profeſſoribus obſeruanda in primis eſſe intelligimus, omnibus quoque ſextis ferijs, niſi ſit feſtum colendum, ieiunemus. Item in vigilijs Beatiſſimi Patris noſtri Hieronymi, Beati Patris Auguſtini, Aſcenſionis Domini, Corporis Chriſti, Sanctiſſimæ Trinitatis, Natiuitatis Beatæ Marię, Patroni Diœcęſis, ac Patroni propriæ Ec-

clesiæ

clesiæ ieiunia vbique ex particulari nostræ Congregationis deuotione celebremus. Item in omnibus nostris Monasterijs obseruentur consuetæ Religionis nostræ abstinentię, à Calendis Octobris vsquè ad Resurrectionē Domini, diebus tantùm præcipuis colendis exceptis.

14. Abstineant etiam Monachi, & Frates nostri à carnibus in perpetuum iuxtà Religionis consuetudinem, nec præsertim eas vllo modo in Refectorio comedere cuique permittatur, præterquam in Monasterio Sanctorum Bonifacij, & Alexij de Vrbe, ob particulare priuilegium ei concessum propter aeris intemperiem.

15. Excipimus tamen ab hoc statuto infirmos, ac debiles, & quatenus loquitur de abstinentijs Religionis, itinerantes etiam per obedientiam. Infirmi autem, & debiles sunt in proposito per Priorem iudicandi, qui si ieiunarent, vel abstinerent, verisimiliter præsumeretur, eos in grauiorem infirmitatem incursuros, & si hęc non præstarent, sanitatem pristinam citius recuperaturos.

De infirmorum, ac Hospitum cura adhibenda.

CAPVT V.

16. CVm charitatis opus maximè in adiuuandis, ac subleuandis Fratribus infirmis eniteat, & dicente Domino, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, in illis Deo deseruiatur. Ideò iuxtà Regulam, Ægrotantium, seu post ægritudinem reficiendorum, siuè aliqua imbecillitate, etiam sinè febribus, laboran-

tium, cura vni alicui, cuius animam timor Dei possideat, iniungatur, vt ipse de Cellario petat, quod cuique opus esse perspexerit, ac cuique secundum infirmitatis indigentiam ex charitate deseruiat. Et si fieri potest, in quolibet Monasterio sit domus infirmis particulariter deputata, cum suis officinis necessarijs; inuiseanturquè frequenter à Priore, & alijs, ac ab omnibus charitatis opus eis exhibeatur.

17. Sit etiam, si fieri potest, domus Hospitibus particulariter dessignata, quorum cura alicui discreto, & idoneo demandetur, qui eos benignè, & hilariter excipiat, comitetur, ac ad Hospitium deducat, iuxtà formam præscribendam in Ordinario, curetq; vt debita seruitutis officia eis opportunè suppeditentur.

De obseruandis circà habitum.

CAPVT VI.

18. NE circà habitum diuersitas in nostra Congregatione oriatur, Monachi nostri habeant tunicam superiorem talárem, sitq; álbi coloris, ac iuxtà formam in Congregatione nostra vsitatam, quam in nullo pœnitùs in posterum variari districtè prohibemus. Habeantque scapulare fusci coloris, seù leonati obscuri, cum capucio paruo, prò cooperiendo tantùm capite, sinè dependentia aliqua; quod quidem scapulare sit amplum in latitudine vsquè ad duos palmos, vel parum plus, in longitudine verò differat parum à tunicá.

Habeant

Habeant etiam cucullam desuper debitis temporibus vt infrà deferendam, similiter talarem, ac fusci coloris, cũ capucio habente dependentiam vnius palmi, vel quasi, et quod humeros in latum nõ excedat, cuius etiam Cucullæ manicæ protendantur vltrà manus per duos palmos, vel quasi, sintq; amplæ per duos palmos vel circa.

19. Quam quidem Cucullam Monachi (sicut, & Nouitij Cappam, ac Conuersi, & Commissi Mantellum) quotidiè defferant in Choro, & in Ecclesia ad omnes horas præter Sextam, Nonam, & Completorium, & præter tempus, quod est â festo Resurrectionis Domini vsquè ad festum sancti Patris Hieronymi, imò ipsa quoquè die Resurrectionis Domini post Missam maiorem, etiam per totam eam diem, si velint deponere possint. Iuxtà antiqua statuta, extrà Ecclesiam, & Monasterium Cucullam Monachi, Nouitij Cappam, Conuersi, Commissiuè Mantellum omni tempore gestent.

20. Nouitij verò vt internoscantur à Monachis professis, habeant scapulare breue pertingens vsque ad genua tantùm, vel paulò vlterius, ac loco Cucullæ habeant Cappam quasi talarem eiusdem coloris, & cum capucio simili sicut Cuculla. Quę quidem cappa sit clausa à parte anteriori ad collum per dimidium palmi, vel quasi, & qua etiam vti possint Monachi itinerantes, vel necessitatis causa ostiatim eleemosynam petentes.

21. Conuersi verò habeant pro habitu tunicam superiorem albam, & talarem, cum scapulare habente capucium sinè dependentia, sicut & Monachi. Loco autem Cucullæ habeant Mantellum desuper fusci coloris sinè

capu-

capucio. Eorum verò, qui Nouitij sunt, ſcapulare ſit breue, pertingens tantùm vſquè ad genua, ſicut & Clericorum Nouitiorum.

22. Commiſſi verò noſtri induantur de more tunica talari, fuſci quoquè coloris, & ſuperinduantur mantello eiuſdem coloris, & formæ, ſicut & Conuerſi.

23. Donati tandem, ſiuè Oblati intrà Monaſterium manentes habeant guardacorium, ſiuè tunicam ſuperiorem breuem de panno fuſco, ſeù griſeo nigro, ideſt, leonato obſcuro. Alij verò degentes extrà Monaſterium veſtiantur honeſtè ſuo modo.

24. Sitq; cingulum omnium noſtrum de corio albo. Pannus quoquè veſtium prædictarum ſit ex lana, vilis, & non magni prætij, licet Cuculla, ſcapulare, & cappa huiuſmodi poſſint eſſe ex panno magis leui, non tamen magni prętij. Cœtera omnia noſtra indumenta ſint quoq; lanea, præter femoralia, quæ poſſint eſſe linea. Et ſi fieri poteſt, ſint albi coloris, præter biretum, quod ſit fuſci coloris, ſicut ſcapulare.

25. Quodq; prò dormiendo vtamur ſtramentis paleis cùm culcitra lanea, ac lodicibus laneis, exceptis nihilominus infirmis, ac debilibus vtſuprà. Quamquam ad caput habere poſſimus capitalia de plumis, etiam cooperta panno lineo, ac pannis lineis vti pro cooperiendo tantum capite. Itinerantes verò in lectis iaceant, ſicut inuenerint. Vbiq; autem exiſtentes dormiamus cum tunicella, & ſcapulari ſaltem paruo, exceptis quoq; infirmis, ac debilibus vtſuprà.

De

De obseruandis circà Capitulum generale, & primò de tempore, & loco, in quo debet haberi, & de personis ad ipsum conueniendis.

CAPVT VII.

26. CApitulum nostrum Generale iuxtà dispositionem Breuis Greg. XIII. sub Dat. Romæ die 25. Maij 1584. ac iàm multis temporibus in Congregatione nostra obseruatam cõsuetudinem, sublato omninò prisco vsu celebrandi ipsum singulo anno, celebretur tantum de triennio in triennium. Ac incipiatur feria secunda immediatè sequente ad Dominicam tertiá post Pascha Resurrectionis, continuandum, vt communiter, vsq; ad feriam secundam sequentis hebdomadæ inclusiuè, ac vltrà prout negotiorum indigentia postulabit. Si verò Fratres Hispani essent venturi, differatur vsq; ad feriam secundam post Dominicam secundam post Pentecostem.

27. Poterit tamen Præpositus Generalis cum assensu Deputatorum, seù Consultorum, propter aliquas vrgẽtes causas, videlicet belli, famis, pestis, & similium, tempus celebrationis ipsius Capituli Generalis differre, & etiam præripere, prout necessitas exiget.

28. Durante verò huiusmodi triennio interim singulis annis, tempore quo supra, Præpositus Generalis, & Consultores, qui prò tempore erunt, prò nouorum, si eis expedire videbitur, Vicariorum, & Æconomorum electione, ac familiæ cuiuscunq; Monasterij assignatione,

ac

ac aliorum infrà annum occurrentium negotiorum expeditione congregentur, & Congregationem annualem à nobis vulgò appellatam, Dietam, conficiant, quam etiam poterit Præpositus Generalis vt supra aliqua vrgente de causa differre, & vt suprà.

29. Habeatur autem prædictum Capitulum Generale, vt communiter in Monasterio Hospitaletti, vel alibi ad dispositionem Definitorij, ità tamen quod & si Monasteria in alijs Prouintijs haberemus, semper celebretur in Monasterijs Italiæ. Et iuxtà ordinationem factam de anno 1550. in fine cuiuslibet Capituli Generalis, per publicum ipsius Capituli decretum statuatur, & edicatur locus, in quo erit celebrandum subsequens Capitulum. Nec possit deinceps locus huiusmodi permutari, nisi causa belli, famis, pestis, & similium approbáda, per Præpositum Generalem cum consilio, & assensu Consultorum.

30. Ad quod quidem Generale Capitulum accedere teneantur omnes in eo vocem habentes, scilicet Reuerédissimus ipse Præpositus Generalis, ac Pater Procurator generalis, cœteriq; Priores omnes cum singulis suis Procuratoribus in sacris constitutis, ac Visitatores ex dispositione statutorum antiquorum. Item ex Breui Iulij II. Dat Romæ die tertia Iunij 1505. Definitores Capituli proximè præteriti. Item ex ordinatione facta de anno 1590. & consuetudine deinceps seruata, Consultores. Hi omnes (nisi aliter inhabiles fuerint) præfixo termino personaliter adsint in Monasterio, in quo erit tenendum Capitulum Generale. Nec causa infir-

mitatis,

mitatis, aut alterius impedimenti possint vices suas in eligendo alijs committere, aut iuxtà Concilij Tridentini Decretum sess. 25. cap. 6. Superiores, aut alij vota absentium supplere valeant. Decernentes insuper, quod præter suprascriptos vocales nemo imposterum possit habere vocem in Capitulo, nisi de mandato Sanctissimi, & Sedis Apostolicæ in scriptis priùs obtento. Si tamen aliquis ex Prioribus legitimo fuerit detêtus impedimento, teneatur per litteras Capitulo Generali dictum impedimentum significare, ac officio suo in dictis litteris de facto renunciare, petens humiliter misericordiam de culpis commissis sibi fieri, & ab ipsomet officio absolui. Si verò id non præstiterit, intelligatur nihilominus à dicto officio vacare, ac alius eius loco substituatur. Visitatores verò legitimis impedimentis vt suprà detenti, plenam Capitulo Generali in scriptis mittant suæ visitationis relationem, quam etiam præsentes oretenus, vt fusius capite proprio dicetur, efficere debebunt.

De forma tenenda in eligendis Definitoribus, & Rectore Capituli Generalis, ac de eorum potestate.

CAPVT VIII.

31. MAnè autem illius diei, in quo est incipiendum Capitulum Generale, post Missam Sancti Spiritus, cui omnes de Capitulo deuotè assistant, oratione exhortatoria de pertinentibus ad vitæ emendatio-

nem, morum reformationem, ac Congregationis conseruationem, & propagationem, per Præpositum Generalem, vel alium, cui ipse iniunxerit, breuiter, ac seriosè facta, verbis præsertim ad persuadendum efficacissimis, ex Sacra Scriptura deductis, eligantur per omnes de corpore Capituli (ex illis tamen tantùm, qui sunt de corpore eiusdem Capituli, ac præsentes) secundum formam consuetam scrutinij, Definitores nouem, ex quibus ab eisdem electis Definitoribus, post renunciationem, ac vacationem Præpositi Generalis deinceps fiendam, vnus eligendus erit in Rectorem Capituli Generalis.

32. Huiusmodiq; Rector, ac Definitores, Præpositi Generalis, & Priorum renunciationes recipiant, eorum absolutiones faciant, ac visitationum relationes audiát, quotidièq; omnibus publicam, & priuatam audientiá exhibeant, ac Priores, & alios Officiales de nouo eligát, in omnibusq; prouideant, prout fuerit opportunum. Habeant igitur, durante Capitulo, plenariam potestatem de omnibus, & singulis nostræ Congregationis negotijs, tàm in capite, quàm in membris, tractandi, agendi, ordinandi, corrigendi, puniendi, & priuandi, necnon omnia, & singula etiam de nouo faciendi, disponendi, & definiendi, quæ pro communi statu Congregationis, eiusq; incremento fœlici viderint expedire, dùmmodo statutis his non fuerint contraria. Quòd si de aliquo ex ipsis Definitoribus erit tractandum, interim ipse de Definitorio exeat, ac potestas super hoc remaneat tota apud alios.

33. Ordi-

33. Ordinationes tamen quæcunq; per Definitorium, seu Capitulum Generale in futurum fiendæ plenum robur, ac vim legis non recipiant, nisi per tria Capitula Generalia confirmentur, & approbentur in practica positæ. Interim tamen obseruentur, & in practica ponantur.

De Renunciatione Præpositi Generalis, & Priorum, vacationeq; cæterorum Officialium.

CAPVT IX.


34. EAdem die à prandio post Nonam, vel alia hora opportuniori, qua videbitur Patri Præposito Generali, pulsata de more Campanula ad congregandum Capitulum, ac congregatis omnibus Capitularibus in loco ad id deputato, & per ordinem sedentibus, illicò Præpositus in medio coram Definitoribus prostratus dicat culpam suam de malè administratis, renuncietq; officio Præpositura pariter, & Prioratus, petatq; cum instantia, misericordiam sibi fieri cum acceptatione renunciationis suæ, ac absolutione. Cuius renúciationem admittendo, respondeatur ei per antiquiorem Definitorem. Nos vigore potestatis nobis traditę per Capitulum nostrum Generale, ac per Statuta Apostolica nostræ Congregationis acceptamus renunciationem tuam, ac te absoluimus ab officio Præpositura Generalis pariter, & Prioratus. Surge, & vade ad locum, qui tibi competit. Ac statim post Præpositi ab-

ſolutionem, vt dictum eſt, fiat Rectoris electio. Qui durante huiuſmodi Capitulo ſit omniũ caput, ac omnibus præſit: Niſi tamen contingat, aliquem ex Definitoribus eligi in Præpoſitum Generalem, eo enim ſic electo volumus ſtatim omninò ceſſare officium Rectoris. Si autem electus Præpoſitus non ſit de numero Definitorum, nullo modò ſe intromittat in Definitorio, niſi quantum ipſis Definitoribus viſum fuerit.

35. Deindè cœteri Priores ſecundum antiquiorem Monaſteriorum fundationem ſigillatim idem efficiant. Quorum renunciationes acceptando reſpondeatur eis per Rectorem modò quo ſuprà.

36. Cœterorum verò Officialium officia abſquè aliqua renunciatione intelligantur vacare. Quemadmodum etiam ſi contingat, aliquem ex Prioribus præſentem non eſſe, aut actu non renunciare, eius nihilominus officium volumus, vt ſuprà dictum eſt, vacare.

Hoc tamen declarato, quòd Priores, qui legitimo impedimento detenti ad Capitulum ipſum non venerint, in ſuis officijs adminiſtrent, vſq; ad certam notitiam nouæ definitionis ipſius Capituli, ſicut & cœteri officiales.



De

De electione noui Præpositi Generalis, Priorum, & aliorum Officialium, túm in Capitulo Generali, túm medio tempore fienda, & eiusdem Præpositi Generalis auctoritate.

CAPVT X.

37. Electio futuri Præpositi Generalis fiat, vt dictum est de electione Definitorum, per Monachos omnes in Capitulo Generali vocem habentes, & qui personaliter dictæ electioni intersint, & per seipsos suffragia sua exhibeant, non autem per interpositam personam, & fiat seruata forma Concilij Tridentini.

38. Præpositus autem sic canonicè electus, eò ipse sit, & intelligatur Apostolica auctoritate confirmatus Præpositus Generalis totius Ordinis nostri. Similiq; auctoritate per omnia fungatur medio tempore, qua & Capitulum Generale fungitur, dùm celebratur, illo dũtaxat excepto; quòd nullo modo pro communi statu Congregationis ordinationes condere possit. Alia verò quęcunq; grauia, si occurrerint, cum sex Consultoribus sibi deputatis, semper timore Dei præuio, poterit vtiliter expedire. Tempore itaq; intermedio præsentis Statuti auctoritate, à sancta Sede Apostolica confirmati poterit, & valebit per se, vel alium, seù alios Decretum interponere, & auctoritatem, & assensum præstare locationibus ad nouennium, & bona in emphyteusim dari consueta, nundum Monasterio incorporata, in emphyteusim vsq; ad tertiam generationem dumtaxat cõcedere.

cedere. Atq; item terras, & vineolas exiguas, minùs vtiles, & longè positas, quæ de iure communi alienari posse concessum est, idem Præpositus Generalis sinè Sedis Apostolicæ consensu, si necessitas fuerit, distrahere, & alienare habeat potestatem; ad vtilitatem tamen euidentem Congregationis, & Monasteriorum huiusmodi, & non aliter factis, & fiendis, seù celebrandis, quandòcunq; in futurum de quibusuis rebus, & bonis ad Monasteria nostræ Congregationis pertinentibus, & spectantibus; Ità vt contractus huiusmodi valeant, & robur plenum obtineant per assensum, & decretum huiusmodi, ac si Apostolica auctoritate specialiter fuissent roborati. Idemq; præstare potest Generale nostrum Capitulum, dùm celebratur. Nullus tamen alius Prior inferior, aut nostri Ordinis Prælatus sinè speciali Sedis Apostolicæ licētia id efficere possit. Et ex Indulto Martini Quinti contentò in Bulla Dat. Galicani septimo Idus Augusti Pontificatus sui annò septimò, habeat isdem Præpositus Generalis in Priores, Monachos, & Fratres, ac Monasteria, & loca Ordinis nostri similem in omnibus, & per omnia potestatem, qualem Prior Maioris Carthusiæ pro tempore in Priores, Monachos, Fratres, & Monasteria sui Ordinis, dum eorum Generale Capitulum non tenetur, habet, & exercere consueuit.

39. Priorum verò omnium, Vicariorum, Æconomorum, necnon Procuratoris Generalis in Curia Romana; Visitatorum, & Consultorum, ac Magistri Nouitiorum electio fiat per Præpositum Generalem cū Definitoribus ipsius Capituli Generalis, vel per Rectorem

cum

cum eiſdemmet, ſi contingeret Præpoſitum non eſſe electum de numero Definitorum. Quæ electiones fiant ſecundum formam conſuetam in Ordinario deſcribendam. Et ad hoc vt ſint validę ſufficit, quòd maior pars eligentium, vt ſuprà conſenſerit in perſonam electam. Præpoſito verò Generali etiam aſſignetur per prædictos aliquod Monaſterium per ipſum regendum, & in quò ipſe ſit Prior, cum ſecundum noſtra antiqua inſtituta Præpoſitus noſter non ſolùm debeat eſſe Generalis, ſed etiam Prior, ideſt ille inter Priores, cui Generalis officium committatur.

40. Si autem contigerit, medio tempore Præpoſitum ab humanis decedere, vel regulariter ab officio amoueri, tūc ex Breui Greg. XIII. Datum Romæ die 25. Maij 1584. Pontificatus ſui anno decimotertio, & ex vſu iàm in Congregatione recepto, Conſultores illicò omnes Priores ad ſe aduocent, qui infrà vigeſimam diem ad locum celebrationis futuræ electionis noui Præpoſiti Generalis pręſtò adſint, ac infrà dictum terminum huiuſmodi Conſultores, cum Prioribus, ſecundum formam vt ſuprà, loco Prædefuncti nouum Præpoſitum Generalem eligant. Interim verò Conſultor profeſſione antiquiſſimus vices, auctoritatemq; Præpoſiti Generalis in omnibus gerat, Præpoſitus verò ipſe ſic electus, quē tunc obtinebat Prioratum, non amittat, niſi dictis Conſultoribus, eius etiam concurrente aſſenſu, placeret ipſum ad Prioratum prædefuncti Præpoſiti eligere, tunc enim, nè duo officia incompatibilia ſimul haberet, prædictum Prioratum, quem priùs obtinebat, teneretur reſſignare.

40. Si

41. Si verò contigerit, aliquem ex Prioribus, vel alijs Graduatis, aut Officialibus tempore intermedio ab humanis decedere, vel vt suprà ab officijs suis regulariter amoueri, illorum electio pertinebit ad Prępositum Generalem cum Cõsultoribus. Nullo tamen pacto, Priorum præsertim electio, iuxtá eiusdem Breuis continentiam, differatur vsq; ad Capitulum Generale, nisi exiguum admodum tempus, vt sex mensium, intercedat: Interim verò Vicarius in omnibus vices sui Prioris defuncti teneat, nisi per Præpositum alius eidem Monasterio præficiatur. Idem quoquè præstabit Vicarius in absentia sui Prioris à Monasterio, nisi in aliquibus Prior eius auctoritatem limitauerit, aut dignis de causis alium eius loco in sui absentia vt suprà Monasterio pręfecerit.

42. Electio Præpositi Generalis in Capitulo Generali facta intelligatur ad triennium, iuxtà dispositionem Breuis Greg. XIII. Dat. sub die 17. Martij. 1583. Nec durante huiusmodi triennio possit prædictum officium vacare, nisi per mortem, vel regularem amotionem, aut liberam renunciationem in manibus Cõsultorum fiendam, re tamen communicata cum Illustrissimo Protectore. Perfuncto verò Præpositurræ triennalis huiusmodi officio, nullus ad sequẽs triennium, aut ad aliud tempus Præpositus Generalis vllo pacto confirmetur, aut de nouo eligatur, nisi elapso à fine prędicti sui officij sexennio ex Breui eiusdem Greg. XIII. Dat sub die 25. Maij 1584. Si autem medio tempore in Præpositum eligi aliquem contingat, electio huiusmodi intelligatur

tur

tur facta ad complementum vsq; illius triennij, quò prædefuncti Præpositi officium perdurare debebat, si infrà primum semestre contingeret vacare. Si verò parùm temporis, & minùs quàm duorum annorum à prædicta electione ad Capitulum vsq; Generale intercesserit, permittimus, vt in futuro proximo Capitulo Generali possit ad subsequens triēnium de nouo in Præpositum liberè eligi, facta tamen in eodem Capitulo huiusmodi officij renunciatione, & absolutione, ac per nouam, & liberam eiusdemmet Capituli Generalis electionem, & non aliter.

43. Priorum verò electio ad singulos Prioratus in Capitulo Generali vt suprà facta, intelligatur quoquè ad triennium ex prædicto Breui, ac multis alijs confirmationibus sequutis, ac consuetudine iàm inueterata. Nec possit Prior aliquis intrà huiusmodi triennium à regimine Monasterij sibi per Capitulum Generale assignati, & ad quòd fuit electus remoueri, nisi per renunciationem in manibus Præpositi, ac Consultorum spōtè factam, aut per regularem amotionem, aut etiam per permutationem cum alio Priore dignis de causis fiendam, & à Præposito Generali cum Consultoribus admittendam, concurrente etiam libero vtriusq; partis assensu, ac beneplacito. Elapso autem huiusmodi triēnio non possit in eodem Monasterio, sed tantùm in alio iterum eligi, aut ad summum ad aliud triennium dumtaxat, & non vlterius, & id valdè dignis de causis per Capitulum Generale approbandis; Ità vt in eodem Monasterio quis ad summum per sex annos continuos ob

euidentem illius Monasterij vtilitatem, aut alia valdè rationabili de causa, vt suprà, Prior perseuerare possit, iuxtà approbatam consuetudinem aliarum Congregationum Monasticharum. Sin verò quis medio tempore in Priorem alicuius Monasterij assumptus fuerit, possit nihilominus in subsequenti Capitulo Generali ad eundem Prioratum de nouo eligi, ità tamen quòd nullo pacto vltrà sexennium in eodem Prioratu vt suprà persistere valeat. Prior tamen Monasterij Sanctorum Bonifacij, & Alexij de Vrbe, qui & Procurator Generalis per Capitulum Generale instituendus erit, nullo pacto vltrà triennium in dictis officijs permanere valeat, & ab eis saltem per sexennium vacare omninò teneatur.

44. Visitatores verò, ac Consultores in Capitulo Generali intelligantur electi ad triennium quoq; & si medio tempore electi fuerint, vsq; ad subsequens Capitulum Generale proximum.

45. Vicariorum tandem, ac Æconomorum electio innouetur etiam singulo anno in Capitulis Generalibus, aut Dietis, si itá Præposito Generali cum Consultoribus expedire videbitur.

46. Cùm verò huiusmodi officijs sit annexa residentia, volumus Priores omnes, necnon Vicarios, & Æconomos, quantùm fieri potest, in proprijs Monasterijs residere: Quocircà iuxtà Statutorum veterum dispositionem, si Vicarij, & Æconomi quoquomodò à suis Monasterijs aberunt per duos menses, vel circà, eorum officia intelligantur vacare. Addimus idem de

Priori-

Prioribus, nisi absentia sit ex causa concernente interesse Cōgregationis, vel Monasterij alicuius, vel alia valdè cogente per Prępositum Generalem in scriptis approbanda. Ad Capitulum tamen Generale spectabit videre de licentia à Præposito concessa, & videre, nè quis eo iure abutatur. Reliqua autem præstanda per Capitulum Generale exequantur, prout fusius in Ordinario describuntur.

De qualitatibus ad prædictas dignitates, & officia assumendorum.

CAPVT XI.

47. QVoniam indecorum, & inutile prorsus Congregationi nostræ esset, si prædicta officia, ac dignitates indiscriminatim omnibus, & non tantùm benemeritis Monachis, qui diù sub iugo Religionis laudabiliter perstiterunt, ac qualitatibus alijs ad huiusmodi munera probè exercenda requisitis fulgeant, concederentur: Ideò volumus, & ordinamus, quòd nullus pòsthàc in Præpositum Generalem eligatur, nisi de numero Priorum, & attigerit ætatis suæ annum 40. perstiteritvè in Ordine laudabiliter, & incessanter per annos 18. à sua professione, necnon per triennium laudabiliter in Officio Prioratus probatus fuerit: Non obstante Breui Clement. VIII. Dat. sub die 25. Aprilis 1593. In reliquis illud obseruari decernitur.

48. Nullusq; in Definitorem, Visitatorem, aut Consulto-

ſultorem aſſumatur, qui non ſit Prior; vel quandòquè non fuerit laudabiliter probatus in officio Prioratus, aut ſaltem in officijs minoribus per triennium, vt infrà; Necnon ſaltem vnus ex duobus Viſitatoribus eligatur de numero Priorum, qui ſit, & dicatur Viſitator maior, vt dignitas tantò muneri debita congruè ſeruari poſſit. Prædictiq; omnes eligendi perſtiterint in Congregatione ſaltem per annos 15. à ſua profeſſione.

49. Nulluſq; in Priorem, qui non fuerit aliàs cum laude probatus vel in Prioratus officio, vel in officijs minoribus, ſcilicet Vicariatus, vel Æconomatus ſaltèm per triennium, vixeritq; in Congregatione ſaltèm per annos 15. ab emiſſione ſuę profeſſionis continuos. Magiſtros autem Nouitiorum, ac etiam Lectores, & Concionatores, necnon Viſitatores minores, & Præpoſiti Scribam, quandò per tres annos in ſuis muneribus Cōgregationi actu laudabiliter deſeruierint, quoad habilitatem ad prædictas dignitates, & officia computandos eſſe volumus, ac computamus inter illos, qui in officio Prioratus aliàs fuerunt probati, & eo præclarè perfuncti.

50. Nullus tandem in Vicarium, vel Æconomū ex ordinatione facta de anno 1563. qui non perſeuerauerit in Religione ſaltē à ſua profeſſione per annos 12.

51. Magiſtriq; Nouitiorum habeant prædictas omnes conditiones requiſitas in officijs Vicariatus, ac Æconomatus ſubeundis, & alias deſideratas ad tantum munus exequendum. Habeant etiam ætatis ſuæ annos 40. Maximè autē eniteant vitæ integritate, ac mo-

rum

rum probitate, ac ſint verſati in libris Sanctorum Patrum, & in ijs maximè, quos de rebus ſpiritualibus ſcripſerunt, & alijs iuxtà Clementis VIII. decreta eo de genere ædita, ac etiam in Cantu, & Cœrimonijs Religionis; Et ſi fieri poteſt etiam ſaltem mediocriter in litterarum cognitione, vt Nouitios congruè adhortari, ac dirigere valeant.

52. Habeantq; prædicti omnes cœteras qualitates ad huiuſmodi munera ſecundum diſpoſitionem Sacrorum Canonum, Sacri Concilij Tridentini, & Bullarum Pontificalium requiſitas, maximè autem polleant probitate morum, rerum experientia, litterarumq; ſufficienti peritia pro qualitate munerum. Vndè, cum officijs Præpoſituræ, Prioratus, ac Viſitatoriatus ſit eſſentialiter, ac independenter annexa animarum cura, horumq; munus non minùs in animabus, quàm corporibus propria arte, & proprio conſilio curandis verſetur; nullus poſthàc omninò ad talia munera aſſumatur, qui ſaltem ea ſcientiarum notitia non ſit præditus, quæ ſufficere poſſit ad animarum curam probè exercẽdam; licet in Præpoſito Generali omnium Directore, ac Gubernatore lõgè maiorem deſideremus. Volumusquè ex ordinatione de anno 1568. nullum fugitiuum, aut Apoſtatam nullo vnquàm tempore ad ſummi Magiſtratus, Præpoſituræ ſcilicet apicem poſſe promoueri.

De

De Visitatoribus, ac eorum officio.

CAPVT XII.

53. Visitatores per Capitulum Generale, vt prædicitur, electi, Visitationes suas generales saltem singulo triennio, antequàm Capitulum Generale celebretur, vel etiam singulis annis, tempore intermedio, si Capitulo prędicto, vel Præposito Generali cum Consultoribus expedire videbitur, faciant; Monasteriaq; singula sibi per Capitulum huiusmodi, vel Præpositum assignanda, iuxtà doctrinam Sacrorum Canonum, Sacri Concilij Tridentini Decreta, Summorum Pontificum æditas Constitutiones, ac propria Religionis instituta, cum membris illis vnitis accuratè visitent, secundum formam describendam in Ordinario. Non eximendo ab huiusmodi visitatione nec etiam Monasterium, in quo resides Præpositus Generalis.

54. Harum verò Visitationum relationem facere teneátur Præposito Generali statim absolutis dictis Visitationibus, necnon Capitulo Generali, seù Definitorio, tempore, quo celebrabitur Capitulum huiusmodi Generale. Relationem tamen visitationis factæ in Monasterio Præpositi, præsertim de pertinentibus ad eius mores, vitam, & gubernationem faciant tantùm Capitulo Generali.

55. Præpositus quoque ipse singulo anno secundum morem Religionis omnia Monasteria, & loca Congregationis visitet saltem in partibus Lombardiæ degentia,

gentia, ac etiam alia saltem semel singulo triennio.

56. Si autem (opportuna id postulante causa) videatur Præposito, vt circà Monasterium aliquod alia quoque specialis fiat visitatio, illa fiat per Visitatores ordinarios, vel alios ab eo instituendos, ad arbitrium eiusdem Præpositi.

57. Prædictę verò visitationes vltrà sex dies non protrahantur absque magna, & euidenti necessitate. Et Prior quicunque durante Monasterij sui Visitatione non administret in suo officio, nisi aliter ipsis Visitatoribus visum fuerit.

De obseruandis circà Monasteria ad nostram Congregationem recipienda, vel fundanda.

CAPVT XIII.

58. AD nostram Congregationem nullum de cætero Monasterium recipiatur absquè Capituli Generalis licentia, vel Præpositi cum Consultoribus, nec de nouo fundetur, nisi vt suprà.

59. Habeantque huiusmodi Monasteria dotem suam ad necessitatem, secundum personarum numerum, quæ in eis ali debent. Recipiantur verò in quolibet Monasterio tot tantùm personæ, quot ex annuis redditibus, vel ex solitis obuentionibus illius Monasterij commodè ali, & sustentari possunt, iuxtà determinationem per Capitulum Generale factam, vigore Constitutionis Sanctiss. D. N. Pauli Papæ Quinti de certò Religioso-

gioſorum numero vnicuique domui regulati prefigendo, emanatæ ſub die 4. Decembris 1605. Qui numerus non augeatur ſine Papę conſenſu, & cuius auctoritate eſt præfixus.

60. Et ſi aliquod Monaſterium recipiatur, cui ſit vnita Parochialis animarum cura, aut venienda, exerceatur per Monachos noſtræ Congregationis, & non per alienos, niſi de ſpeciali licentia Capituli Generalis, vel Prępoſiti. Extrà verò per Sacerdotes ſęculares, vel per alios iuxtà Concilium Tridentinum. Et ſi expedire iudicauerint, per ipſoſmet Monachos exerceri, duo ſaltem Monachi, vel Monachus cum Conuerſo curæ pręſint.

61. Monialium autem Monaſteria nullo modo admittantur ad Ordinem noſtrum.

62. Sintq; Monaſteria noſtra, quantùm fieri poteſt, extrà populum, ideſt extrà Ciuitatem, vel Villam, ſeù Oppidum populoſum, & ſi ex cauſa rationabili fuerint in populo, maneant ſemper clauſa, ità vt perſonis in eis degentibus liber, & pro voluntate non pateat exitus.

63. Quandò autem contigerit quem ex Monachis, vel Fratribus, vt prædicitur, Monaſterio exire equeſtrem, vel pedeſtrem, ſemper humiliter, ac religiosè vadat, & equitet ſecundum morem patriæ. Egreſſuri verò oratione armati vadant, & veniant, venia, & benedictione à Superiore obtenta, quam tàm eundo, quàm redeundo flexis genibus petere, & accipere debent.

64. Si verò Prior Monaſterio exierit, & pernoctauerit, dùm reuertitur, omnes benignè ei occurrant, ac flexis genibus deoſculentur manus. Idem præſtare debent, ſi ad-

ſi aduenerit Prępoſitus Generalis, vel Priores ex alienis Monaſterijs, ac etiam in aduentu Viſitatorum occaſione viſitationis inſtituendæ.

65. Huiuſmodi autem Monaſteria noſtra fundata, vel fundanda ſub excommunicationis pœna fœminæ intrare non permittantur, niſi tantùm Eccleſias, & prima Clauſtra, quoties vnà cum viris in publicis proceſſionibus per eadem prima Clauſtra itur ad Eccleſiam, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij Tridentini.

De obſeruandis circà recipiendos ad noſtram Congregationem, ac admittendos ad profeſſionem; Et de vocem habentibus in Capitulis particularibus Monaſteriorum.

CAPVT XIV.

66. CONgregationem noſtram ingreſſuri, habitis prius de eorum requiſitis qualitatibus dignis, ac ſufficientibus atteſtationibus, examinentur circà litterarum peritiam per Priorem, vel alios ad id muneris deputatos, vt dignoſcatur, ac concludatur, cui ſtatui ſint magìs apti, hoc attento, quòd nullus pro ſeruitio chori recipiatur, niſi ſit habilis, vt infrà, qui ad Ordines Sacros dignè promoueatur, vel ſaltem de eo certa habeatur ſpes, quòd temporibus opportunis ad id erit idoneus. Neq; poſſit aliquis recipi ad habitum noſtrum, qui ad minùs non habeat 15. ætatis ſuæ annos. Nec ex Conſtitutione Sixti Quinti Data ſub 6. Cal. Decem-

 bris,

bris, Pontificatus sui anno tertio, pro seruitio Chori, si excesserit annum 16. nisi de assensu Capituli Generalis, vel Congregationis annualis, vel infrà annum Priorum eorum, qui per Capitulum Generale ad id munus fuerint deputati. Habeantq; singuli, etiam Conuersi, Commissi, ac Oblati ad probandum annum integrum. Nec alitèr quisquam valeat ad professionem admitti, nisi anno probationis completo, ac de assensu maioris partis Capituli illius Monasterij, in quo fuerit probatus, & receptus.

67. Nullus autem censeatur habilis, qui promoueatur ad minores ordines, nisi iuxtà determinata per Cōcilium Tridentinum sess. 23. cap 11. saltem latinam linguam aptè intelligat. Ad maiores verò secundum idē Concilium cap. 13. eiusdem sessionis, nisi ijs litteris, & alijs conditionibus, quæ ad ordinem suscipiendum probè exercendum pertinent, sit ornatus.

68. Eis, qui recipiuntur pro seruitio Chori, fiat rasura magna vsq; ad aures & infrâ, quo loco relinquatur circulus capillorum, seù corona, quæ ad summum sit lata, quantum est polex manus. Conuersis verò, & Commissis abradatur caput à loco coronæ & infrà tantùm; Ad superiorem verò capitis partem deferant de more capillos magìs eleuatos, & forficè tantùm tunsos, sinè corona tamen. Deferant etiam Conuersi barbas oblungas more Patrum antiquorum, quas tamen abradere, seu tundere faciant in labio superiori, iuxtà ordinationem factam de anno 1547.

69. Modus profitendi Monachorum, ac etiam Con-

uersorum

uersorum erit iste. IN Nomine Domini. Amen. Anno á Natiuitate eiusdem &c. Indictione &c. die &c. mẽsis &c. Ego Don (si sit Monachus) vel Frater (si sit Conuersus &c.) N. de tali loco promitto obedientiam Deo Omnipotenti, Beatissimæ MARIÆ Virgini, Sãctissimo Patri nostro Hieronymo, ac tibi Patri Don N. de tali loco, Priori huius Monasterij. N. talis Diœcesis, tuisq; successoribus (salua semper obedientia Capituli Generalis, ac Præpositi,) & de viuendo sinè proprio, in Castitate, secundum Regulam Sancti Augustini, Ac morum meorum conformationem iuxtá Statuta Ordinis Apostolica, vsq; ad obitum meum. Actum in prçfato Monasterio. Anno, Indictione, die, ac mẽse suprascriptis. Et subscribat propria manu his verbis. Ego Don talis de tali loco propria manu scripsi, & & subscripsi.

70. Modus autem profitendi Commissorum, Oblatorum, seù Donatorum erit iste. In Christi Nomine Amen &c. Ego Frater. N. de tali loco pro amore Dei, & remedio animæ meæ committo, & dono me ipsum, & omnia bona mea præsentia, & futura, actiones, & iura, quæ mihi competunt, vel competere poterunt quomodolibet in futurum, Deo Omnipotenti, & Beatissimę Mariæ semper Virgini, ac Sanctissimo Patri nostro Hieronymo, & tibi Patri Don. N. de tali loco, Priori huius Monasterij Sancti. N. Ordinis Monachorum Erçmitarum eiusdem Sancti Patris Hieronymi, nomine dicti Monasterij, & Ordinis hanc commissionem, & donationem recipienti. Et promitto obedientiam ti-

bi, & successoribus tuis (salua semper obedientia Capituli Generalis, & Præpositi.) Quòd si aliquo tempore (quod Deus auertat) hinc abire sinè licentia tentauero, liceat seruis Dei eiusdem Ordinis, qui hic fuerint, me plena sui iuris auctoritate inquirere, & coactè, ac violenter in suum seruitium reuocare. Actum in suprascripto Monasterio, Anno, Indictione, mense, & die suprascriptis, Et subscribatur per eum vt suprà, vel per alium eius nomine.

71. Quamuis autem, iuxtà formam prædictam, actus obligatorius videatur esse tantum ergà Priorem illius Monasterij, qui professionem huiusmodi recepit; declaramus tamen, sub nomine illius comprehendi omnes Superiores etiam aliorum Monasteriorum pro tempore futuros, sub quorum obedientia sic professos degere contigerit. Vndè volumus, quod professi cuiuslibet Monesterij, vt præfertur, ad quoduis aliud Congregationis Monasterium mutari, ac trãsferri possint per Præpositum, vel Generale Capitulum, ac etiam per Visitatores, si necessitas exiget. Qui sic, vt prædicitur, mutati, stare, ac præstare teneantur obedientiam Priori illius Monasterij, ad quod fuerint missi.

72. Monachi nuper professi non habeant vocem in Capitulo per annum integrum à die suæ professionis computandum, etiam si de sæculo venerint in sacris cõstituti. In electione tamen Discreti cuiuslibet Monasterij, seù Procuratoris destinandi ad Capitulum Generale, ex ordinatione facta de anno 1569 & ex consuetudine, quæ iàm in Congregatione inoleuit, non habeant

vocem actiuam, neq; passiuam, nisi qui in Sacris sunt constituti: Item nec in admittendis Capitulariter ad Ordines Sacros suscipiendos. In cœteris verò actibus capitularibus vocem habeant elapso anno à die Professionis, vt suprà, computando. Nec Conuersis liceat vnquàm ad maiores, & Sacros Ordines ascendere, etiam de licentia Generalis. Et si quis contrauenerit, grauiter puniatur, & nihilominus in statu Conuersorum perpetuò maneat.

73. Valeat etiam Præpositus Generalis de Consultorum suorum consilio, & assensu non solùm Fratri Donato, vel Commisso, & Conuerso, sed etiam Monacho, vt ad alium Ordinem strictiorem regularis obseruantiæ transire possit, per litteras suas licentiam concedere.

De obseruandis circà studia litterarum.

CAPVT XV.

74. STudia in omnibus scientijs à iure permissis, ac religiosis viris condecentibus in nostra Congregatione non solùm haberi, seù teneri, sed etiam, quãtum fieri potest, promoueri permittimus, & affectamus: Ob id mandamus, per Capitulum Generale esse particulariter dissignanda Monasteria, in quibus secũdum distinctionem classium eorum, qui studijs operam sunt daturi, diuersæ edoceantur facultates. Ac in ijs Lectores ad huiusmodi munera obeunda manuteneantur, eorumq; Superiores omni assiduitate, & diligentia inuigilent,

lent, negligentes, & tardos grauibus pœnis plectendo, etiam ſuſpenſione, vel priuatione facultatis ſtudendi; ſtudioſos verò, & diligentes corroborando, & confirmãdo, vt ex ſtudijs in dies fructus vberiores percipiantur.

75. Qui tamen graduati in aliqua ſcientia fuerint, nominibus huiuſmodi graduũ nullatenus nuncupẽtur.

76. Inſuper nolumus etiam, quemquam noſtri Ordinis poſſe verbum Dei prædicare, Lectoris munus, aut curam animarum exercere, aut Sacras ſæcularium confeſſiones audire, niſi facto prius de eius ſcientia per peritos, ad id munus per Capitulum Generale inſtituendos, periculo, ac admiſſa illius ſufficientia; Necnon obtenta etiam in ſcriptis licentia à Capitulo Generali, vel Præpoſito, vel ſaltem permittente Præpoſito, à proprio Priore, reſpectu tantùm eorum, qui curæ animarum, & confeſſionibus audiendis ſunt ſubijciendi. In alijs iuxtà diſpoſitionem Concilij Tridentini.

De vi obligatione horum Statutorum.

CAPVT XVI.

77. PRopter autem prædictorum omnium trãſgreſſionem, vel non obſeruantiam in communi, vel particulari nolumus, nos, & poſt nos futuros ad peccatum mortale aliquod vllatenus obligari, ſed tantùm ad pœnas corporales, ſi quæ nobis pro eorum tranſgreſſione, per noſtros Superiores fuerint impoſitę; ijq; ſolũ erunt peccato obnoxij, qui aut quidpiam ſubſtantialiũ


votorum,

votorum, aut quòd naturali, Diuina, seù Ecclesiastica lege prohibeatur, ausi fuerint violare.

78. Ideò volumus, eosdem Superiores circà omnia, & singula cum aliquibus in particulari, nec verò in communi indigentibus dispensandi, & non dispensandi auctoritatem habere, nisi in casibus expressè concessis, & præscriptis à Capitulo Generali, vel Dieta annuali.

79. Super obseruantia autem omnium, & singulorũ, Priorum cõscientiæ onerẽtur, Qui si Statuta huiusmodi obseruari faciant, Religio in statu suo debito permanebit, quæ aliàs eorum culpa, seù negligentia (quod Deus auertat) citò à prædicto statu defluet: De quibus exactam rationẽ in tremendo iudicio erunt reddituri.

80. Faciãt propterea ea capitulariter legi ad minus semel in mense, vt omnes in his tamquam in speculo, quæ facere ommittunt, corrigant, & quæ, Deo iuuante, adimplent, tribuant illi, a quo, & in quo, & per quem sunt omnia: Cui sit honor, & gloria in sæculorum sæcula. Amen.



INDEX

INDEX CAPITVM STATVTORVM.

ORDI-

ORDINARIVM CONGREGATIONIS MONACHORVM EREMITARVM DIVI HIERONYMI.

De mandato Capituli Generalis reformatum, & Statutis auctoritate Apostolica nuper confirmatis accommodatum.

Libellus scilicet, in quo continentur Ordinationes, seù Constitutiones in Capitulis Generalibus, & Dietis, circà ea, quæ in Statutis traduntur, habitæ, necnon eorum declarationes; & Ritus, seù Cęremoniæ, iuxtà probatum viuendi modum, nunc in eadem Congregatione vsitatum.



IMPRESSVM ANNO SALVTIS, M.DCXIV.

PRÆFATIO.



IN Ordinario innouando, ac iuxtà Statuta nuper reformata, & à Sancta Sede Apostolica confirmata dirigendo, quantùm cum Domino potuimus, eum adhibuimus ordinem, quem in eorundem Statutorum dispositione obseruatum fuisse animaduertimus; Quę etenim hoc libello occurrunt tradenda, sunt vel Constitutiones, seù Ordinationes ad tollendos abusus circà ea, quæ in Statutis mandantur, à Patribus diuersis in Capitulis Generalibus, ac Dietis emanatæ; vel Ritus, seù Cęremoniæ eadēmet concernentes; Vel quoquo modò ad eorum maiorem declarationem, & exactiorem obseruantiam, ac Monasticę disciplinæ conseruationem faciunt. Materias igitur materiebus accommodantes, eas nihilominus in plura capita, ad necessariam declarationem, hic diffundentes, ab eodem tramite non discessimus. Tractatum autem de culpis, & pœnitentijs iuxtà veteris Ordinarij dispositionem, ac nonnulla alia necessaria, quæ ad prędictas Statutorum materias referri non potuerunt, in fine adiunximus. Quamuis autem quæ hoc Ordinario continentur, vt plurimum auctoritate præteritorum Capitulorum Generalium, vel Dietarum iàm confirmata sint, & nunc præsertim omnia, & singula auctoritate istius Capituli Generalis præsenti anno 1614. celebrati in Monasterio Sancti Petri de Hospitaletto, Diœcesis Laudensis, expresè confirmentur, & eo maiori robore, quò fieri potest, perpetuò conualidentur; ac ob id sint ab omnibus nostri instituti professoribus, præsentibus, & futuris, inuiolabiliter, & ad vnguem obseruanda; Ob eorum tamen in generali, vel particulari transgressum, aut inobseruantiam nolumus nos ad aliquod peccatum, sed tantum ad pœnas corporales, si quę à nostris Superioribus iàm fuerunt impositæ, vel in futurum imponentur (nisi adsit contemptus, aut excommunicationis pœna) vllatenus teneri.

CAPVT PRIMVM.

De modo, quo persoluendum est in Choro Diuinum Officium.

1. DIuinum Officium, iuxtà Statutorum dispositionem, esse distinctè, punctuatìm, ac deuotè in Choro dicendum, ità intelligendum esse, probatę Congregationis nostræ consuetudini inhærentes declaramus, vt nec nimis alta, nec nimis depressa, sed medio-

gri, ac sonora voce; Nec nimis morosè, aut nimis acceleratè, sed graui quodam progressu psallamus, atq; cantemus. Neq; vocibus parcatur; Ac pausa in medio versiculi semper, & in Cantu in virgulis interponatur; Nec in fine nimium protrahantur voces, sed omnes simul incipiant, ac simul desinant.

2. Iuxtà verò Rubricas Breuiarij, ac Missalis curiæ Romanæ, de mandato Sanctæ Sedis Apostolicæ reformati, vel prò tempore reformandi faciendum esse officium dicitur; Quià ex Actis Capituli de anno 1579. ità sancitum fuit. Licet ex dispositione Breuis Apostolici fęlicis recordationis Papæ Pij Quinti, possint officia Diuina, iuxtà antiquam consuetudinem, in nostra Congregatione celebrari; tamen sancimus, & ordinamus, vt de cetero, iuxtà formam reformationis officij noui, debeant per Congregationis nostræ Monachos celebrari, inchoando in prima proxima Dominica Aduentus. Prò quorum obseruatione iniuncta intelligatur cura singulis singulorum Monasteriorum modernis, ac prò tempore futuris Prioribus. Ac ità exequtioni vbiq; fuit demandatum, & continuè deinceps obseruatum.

3. Dicatur autem totum in Choro &c. in omnibus Ecclesijs Monasteriorum nostrorum &c. Quià ex Actis Capituli de anno 1494. ità fuit ordinatum. Ordinamus, quod in quocunq; Monasteriorum nostrorũ, etsi Monachi pauci sint, omnes horas Canonicas persoluant in Choro; In Refectorio antè refectionem benedictionem faciant, & post, gratiarum actionem; Et in mensa aliqua lectio Sacrę Scripturæ habeatur; silentium seruetur; & demùm post refectionem gratiæ consuetæ in Ecclesia Deo reddantur.

4. Quià verò ex eisdem Statutis in omnibus Monasteriorum nostrorum Ecclesijs, in Choro est quoq; persoluendum officium Beatæ MARIAE Virginis, & Defunctorum, ac Psalmi Pœnitentiales, & Graduales diebus illis, quibus præscribũtur ex rubricis Breuiarij Romani; Ideò declaramus, nobis non suffragari remissionẽ, quę habetur in Breui Pij Quinti circà prædicta, quia est inueterata, ac nunquàm intermissa Congregationis nostræ laudabilis consuetudo, vt huiusmodi in Choro in omnibus Ecclesijs Monasteriorum nostrorum diebus prędictis dicantur.

5. Ex Decretis Congregationis reformationis Regularium emanatis sub Clemente VIII. die 24. Aprilis 1596. Nullus prętextu priuilegij cuiuscũq; superioritatis, aut gradus censeatur immunis à seruitio Chori, nisi pro tẽpore, quò in proprij officij munere fuerit actu occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus poterunt Superiores dispensare ijs tantùm diebus, quibus eos legere, vel prædicare contigerit. Poterunt etiam dispensare cum ægrotis, & studiorum causa legitimè occupatis.

6. Ex Actis Capituli de anno 1592. Ad Chorum debitis horis singuli cõueniant, exceptis ijs, qui legitimo impedimento (quod à Superiore pro-

bandum

bandum erit) detenti fuerint. Quod si quis ad Chorum non venerit, vel in hoc negligens fuerit, quandoq; admonitionibus, aliquandò aspera verborum correctione, aliquandò abstinentia vini in mensa, & aliquandò etiã grauioribus pęnis, prò qualitate personæ, & prò modo culpę, & contumacię, ad arbitrium Prioris, plectatur.

7. Ex Actis Capituli de anno 1602. & aliorum multorum, ac demùm 1609. Quiá debitus honor est virtuti semper deferendus, id quoq; seruandum statuimus; Quod qui Generalis munere, & dignitate probè fuerint perfuncti, sint immunes ab ea functione, quam hebdomadariam vocamus; Nec debeant cogi, vt horis Matutinis tempore nocturno intersint. Insistãt tamen & ipsi aliter seruitio Chori, ac quod ex Decreto Congregationis reformationis præscribitur, exequantur potiùs ex discretione, quàm ex coactione.

8. Ex Actis Capituli de anno 1517. Ordinamus, vt Monachi, qui per triginta annos continuos in Congregatione perseuerauerint, non cogantur horis Matutinalibus semper interesse. Quod intelligatur vt suprà, & non semper, sed quandòq; tantùm; Vndè si defficiat discretio, succedat coactio, & auctoritas Superioris.

9. Prædictam quoq; concessionem senibus ætate confectis faciẽdam esse intelligimus, quos ad iudicium Superioris cum debilibus, & infirmis, attẽta præsertim virium imbecillitate, computandos esse declaramus.

CAPVT II.

De quibus Sanctis, præter Calendario adnotatos, debet in nostra Congregatione fieri officium; Et de officijs à mortuis.

10. QVoniam ex Rubricis Breuiarij Romani nuper reformati admittitur, vt apud singulas Religiones, & Congregationes de illis Sanctis fiat officium duplex, vel semiduplex, qui iuxtà earundem Religionum, & Congregationum approbatum morem, in earum Ecclesijs consueuerunt celebrari. Ac ex capite primo Statutorum, ad Capitulum Generale spectat declarare, quęnam sint huiusmodi festa; Ideò, vt vniformitas in nostra Congregatione in Diuinis officiis persoluendis deinceps, quantũ fieri potest, obseruetur, declaramus; hæc esse festa, de quibus apud nos approbatus est vsus, vt in omnibus nostris Ecclesiis, & ab omnibus nostris Monachis eorum fiat officium, & modo, quò infrà, videlicet. Die prima Ianuarii fiat officium Sancti Barbatiani Confessoris, duplex, sub cuius titulo est erecta Ecclesia nostri Monasterii Bononiæ. Die 17. eiusdem, Sancti Sauini Episcopi, & Confessoris, duplex, de cuius nomine denominata fuit Ecclesia nostri Monasterii Placentiæ. Die 19. eiusdem, Sanctæ Paulæ Ma-

tronę, duplex, quæ fuit diſcipula Sanctiſsimi Patris Hieronymi, & Monacha Ordinis noſtri. Die 28. Februarij; translationis Sãcti Auguſtini Epiſcopi, ac Eccleſię Doctoris, duplex, ſub cuius Regula nos quoq; militamus. Die 5. Martij, Sancti Euſebij Confeſſoris, duplex, qui fuit diſcipulus, & Comes Beatiſsimi Patris Hieronymi, & Monachus Ordinis noſtri. Die prima Maij, Sancti Sigiſmundi Regis, martyris, duplex, ſub cuius titulo erreęta eſt Eccleſia Monaſterij noſtri propè Cremonam. Die 11. eiuſdem, trãslationis Sanctiſsimi Hieronymi Confeſſoris, & Eccleſię Doctoris, Patris, & Protectoris noſtri, duplex, ſecundæ claſsis. Die 14. eiuſdem, Sancti Bonifacij martyris, duplex, ſub cuius titulo erreĉta fuit Eccleſia Monaſterij noſtri de Vrbe in Monte Auentino. Die 19. Iunij, Sanctorum Geruaſij, & Protaſij Martyrum, duplex, ſub quorum titulo erreĉta eſt Eccleſia Monaſterij noſtri loci Montisbelli. Die 17. Iulij Sancti Alexij Confeſſoris, duplex, de cuius nomine vocata poſtea fuit Eccleſia ſupradicti Monaſterij noſtri de Vrbe. Die 7. Auguſti, Sanctorum Carpophori, & ſociorum martyrum, duplex, de quorum nomine vocatur Eccleſia Monaſterij noſtri propè nouum Commum. Die 3. Septembris, Sancti Marini Confeſſoris, duplex, de cuius nomine appellata fuit Eccleſia Monaſterij noſtri Papiæ. Die 28. eiuſdem, Sanctæ Euſtochij Virginis, duplex, quæ fuit diſcipula Sanctiſsimi Patris Hieronymi, ac Monacha Ordinis noſtri. Die 30. eiuſdem fiat feſtũ Sanctiſsimi Patris Hieronymi ſolemniſsimè, duplex præcipuum, cum octaua, ac vigilia.

11. Cùm verò, præter prędictos Sanctos, de quibus vniuerſaliter in omnibus Congregationis noſtræ Eccleſijs, modo prędicto, fieri debet officium, ſit etiam vſus particularis in ſingulis Monaſterijs à Rubricis eiuſdem Breuiarij admiſſus, celebrandi ſub officio duplici, vel ſemiduplici dies aliquos aliorum Sanctorum, vel quorum Corpora, aut Reliquiæ inſignes in illis Eccleſijs deuotè aſſeruantur; Vel ſub quorum titulo, & inuocatione Altaria, aut aliæ Eccleſiæ eiſdem Monaſterijs annexæ fuerunt erreĉtæ, vel alijs pijs de cauſis; Idcircò, nè etiam quoad hoc fiant irrationabiles mutationes in Congregatione, ſtatuimus, & mandamus, vt à delegendis in hoc genere peritis, & ſapientibus Monachis, in ſingulis Monaſterijs ordinetur, & diſtinguatur tabula, in qua per ordinem annotentur omnes Sãcti, de quibus particulariter in illis Eccleſijs fieri conſueuit officium, & in ea exprimantur dies, quibus decurrunt, ſub quo officio debeant fieri, ſcilicet duplici, vel ſemiduplici &c. cauſa, propter quam de illis fit ibi officium, vt quia illorum Corpora, aut Reliquiæ aſſeruantur in illa Eccleſia, vel vt ſuprà, ac in ea quoq; annotetur dies Conſeruationis, vel Dedicationis propriæ Eccleſiæ. Hæc verò tabula ſic per prædictos ordinata, exhibeatur Præpoſito Generali eius auctoritate confirmanda; & ſic approbata in nullo penitus poſsit amplius variari, niſi de mandato Capituli Generalis, ex cauſa valdè cogente.

gēte. Quę quidē tabula, vt prędicitur, cōfirmata, perpetuò maneat affixa in loco publico, scilicet, vel in Choro, vel in Sacrastia, ac iuxtà eā omninò dirigatur officium. Interim verò fiat de huiusmodi Sanctis secundum vsum iàm in praxi positum.

12. Officia omnia de huiusmodi Sanctis per eiusdem Breuiarij Romani Rubricas, exceptis ijs, quæ in eodem Breuiario Romano propria iàm habentur, opportunis locis apponenda, erunt desumenda ex Cōmunibus Sanctorum, donec à Sancta Sede impetretur confirmatio officiorum particularium de nostris Sanctis; quod, vt quàmprimum fiat, maximè optamus, immò gaudemus, negotium iàm in actione versari, cum bona spe optati exitus.

13. Declaramus insuper, debere quoq; iuxtà eiusdem Romani Breuiarij Rubricas in nostris Ecclesijs fieri officia de illis Sanctis, qui de mandato Episcoporum Diœcesanorum apponuntur Calendario, quod solet per singulas Diœceses singulo anno innouari, & modo, qui in eodem Calendario exprimitur; ob idq; in omnibus nostris Ecclesijs esse asseruandum huiusmodi Calendarium, & singulis annis innouandum.

14. Officia à mortuis recitentur in omnibus nostris Ecclesijs in Choro, primò diebus Statutis ex Rubricis Breuiarij Romani, scilicet extrà tempus Paschale prima die cuiuslibet mensis, officio duplici, vel semiduplici non impedita; Et in Aduentu, ac Quadragesima feria secūda cuiuslibet hebdomadæ, præter hebdomadam maiorem, si similiter non sit impedita; Et prætereà ex diuersis ordinationibus in omnibus Capitulis Generalibus innouatis, singulo mense primis diebus non impeditis vt suprà dicantur alia duo officia Defunctorum, scilicet vnum pro Fratribus, & aliud pro benefactoribus Ordinis nostri defunctis. Item ex veteri Ordinario, ac consuetudini Congregationis die 29. Ianuarij fiat Anniuersarium pro omnibus propinquis, & benefactoribus Ordinis nostri defunctis. Item tertia die Aprilis fiat Anniuersarium pro anima primi Præpositi Congregationis nostræ. Item prima die post octauam Beatissimi Patris nostri Hieronymi fiat Anniuersarium pro omnibus Fratribus Congregationis nostrę defunctis.

15. Diebus verò, quibus fiūt supradicta anniuersaria, Sacerdotes omnes celebrent pro illis animabus, & Clerici dicāt singuli priuatim officium defunctorum, ac Conuersi, & Commissi 40. Pater noster cum Aue Maria &c. & in fine cuiuslibet addant, Requiem æternam &c.

16. Non prætermittantur etiam suffragia, quæ ex dispositione Ordinarij veteris, ac pia, & inueterata consuetudine nostræ Congregationis fieri solēt occasione transitus Fratrum nostrorum; Videlicet vt in illis Monasterijs, in quibus Frater aliquis ex hac vita decedit, etiam si sit Nouitius, Conuersus, Commissus, vel Oblatus, diebus depositionis, septimo, trigesimo, & anniuersario ab obitu dicatur in Choro officium defunctorum pro anima

illa,

illa, ac Sacerdotes omnes celebrent. Et prętereà per triginta dies ad eiusdem obitum immediatè sequentes celebretur singulo die pro illius anima Missa priuata de Requiem, & singulis his triginta diebus cantetur de more, post Vesperas, super eius tumulum Respõsorium cum versiculis, & orationibus consuetis; Ac iuxtà piam Maiorum nostrorum consuetudinem per eosdem triginta dies apponatur semper in mensa consueta portio Fratris defuncti, & pauperibus in obuentionem, & refrigerium illius animę distribuatur; Ac vlterius quilibet Sacerdos ex eodem Monasterio dicat quantòcyus septem alias Missas priuatas pro refrigerio eiusdem animæ, ac Clericus quilibet vndecim officia à mortuis, & quilibet Conuersus totidem vicibus 50. Pater noster cum Aue Maria, & in fine Requiem &c. Quilibet verò aliorum Monasteriorum Sacerdos, notificata illius morte (quòd nulla interposita mora à Priore erit præstandum) tenebitur quantòcyus tres Missas pro illius anima celebrare, ac quilibet Clericus tria officia à mortuis priuatim recitare, & Conuersi semel tantùm 150. Pater noster cum Aue Maria, & Requiem &c. Commissi verò, & Oblati dimidium tantùm illorum, quos recitare tenentur Conuersi.

17. Fiant item Anniuersaria, ac dicantur officia à mortuis, & Missæ in singulo Monasterio, ad quæ ex obligationibus diuersis temporibus susceptis ipsa Monasteria tenentur; Ac ob id mandamus, vt in singulo Monasterio innouetur tabula prędictarum obligationum per Patres vt superius designandos, qui inspectis ab origine fundamentis, tabulam huiusmodi de nouo distinguant, & ordinent, facta etiam in ea breui mentione, si expedire videbitur, causę prædictarum obligationum. Quæ sic distincta, & ordinata, & per Reuerendissimum Præpositum Generalem approbata, ad vnguem obseruetur, sub pęna suspensionis officij illis Superioribus, quorum negligentia aliquid de ipsa fuerit ommissum, aggrauando etiam præsertim eorum conscientias. Nec possit amplius immutari, aut noua obligatio recipi, & in ea adscribi, nisi re prius in Capitulo particulari illius Monasterij per Priorem proposita, & diligenter discussa, & admissa, & etiã per Capitulum Generale, vel Præpositum medio tempore confirmata. Et hoc, nè inconsultò imposterum recipiantur obligationes nimis graues, & tot, quibus satisfieri non possit. Habeatur etiam ratio, vt in tabula prædicta defunctorum, etiam si de hoc nulla extet scriptura obligatoria, ponatur saltẽ vnum anniuersarium pro anima illius benefactoris, qui Monasterium fundauit, aut errexit, vel nostræ Congregationi resignauit, vel pro illo Pontifice, qui illud vniuit, & hoc Anniuersarium fiat solenniter, & illa die celebrent omnes Sacerdotes, & Clerici dicant priuatim officium defunctorum pro eadem anima, & Conuersi 50. Pater noster vt suprà, ac Commissi, & Oblati 25. Er præterea saltem in Missis conuentualibus ordinariè habeatur specialis illius mentio in Memento pro mortuis, & Priores sæpè animas

horum, & aliorum insignium benefactorum commendent orationibus suorum Monachorum, & Fratrum.

18. Dum autem fiunt predicta Anniuersaria, & officia à mortuis, pridiè illius diei, quò in tabula decurrunt, debet in Choro hora conuenienti, vt infrà, dici officium mortuorum pro illa, aut illis animabus, scilicet Vesperæ, ac Matutinum cum vno nocturno iuxtà feriam currentem die subsequenti, ac Laudibus, cum suis orationibus appropriatis. Et si fieri potest, debet celebrari Missa conuentualis de Requiem, præterquàm quandò officium fit pro omnibus defunctis semel in mense, quià tunc sufficit, vt fiat commemoratio, vt in Rubricis Missalis. Expleta Missa, si officium sit pro Fratribus, aut benefactoribus, debet cantari Responsorium super tumulum cum suis versiculis, & orationibus debitis.

CAPVT III.

De Missis tùm conuentualibus, tùm priuatis; Et de numero candelarum; Ac quandò Priores facere debent officium; Clerici, ac Layci Fratres Sacra Communione refici, & pœnitentiæ Sacramentum teneantur frequentare.

19. Dicatur singulis diebus inuiolabiliter tempore opportuno in singulis Monasteriorum nostrorum Ecclesijs Missa conuentualis, vel etiam duæ, si iuxtà officium sunt dicendæ. Ad quam conuenire debent omnes Monachi, etiam si non cantetur, & Sacerdotes quoq;, præsertim si ea die non celebrauerint.

20. Præter Missam conuentualem, post primum Campanæ signum ad Primam, dicatur ab hebdomadario præteritę hebdomadę, vel ab alio eius loco, iuxtà ordinem à Vicario assignandum, Missa priuata singulo die. Quæ iuxtà Statutorum dispositionem cap. 9. saltem semel in hebdomada sit pro Fratribus, & benefactoribus Ordinis defunctis; & successiuè, vel alio tempore opportuniori poterunt alij Sacerdotes celebrare, secundum ordinem per Vicarium vt suprà, pręfigendum; Cuius partes maximè esse debent, vt curet, & iubeat, tot Missas, quot pro Ecclesiarum, ac locorum qualitate sufficere congruè possint, & temporibus opportunis, per Sacerdotes celebrari. Præscribet igitur in tabula publica singulis Sacerdotibus, quas infrà hebdomadam celebrare debebunt Missas, distinguendo dies, tempora, & etiam qualitatem Missarum, si opus erit.

21. Ex ordinationibus in omnibus ferè Capitulis iteratis, dicantur singulo mense in qualibet Monasteriorũ nostrorũ Ecclesia tres Missæ de Spiritu Sancto; Vna videlicet prò conseruatione Summi Pontificis, & eius bono regimine, ac propagatione Sanctæ Matris Ecclesiæ. Alia pro Illustris-

ſimo Cardinali pro tempore apud Sanctam Sedem Congregationis noſtræ Protectore, & eius bona protectione. Alia pro Reuerendiſsimo noſtro Præpoſito Generali, ac bona Congregationis noſtræ directione; Et nunc addimus; Alia pro Epiſcopo Diœceſano, & bono Diœceſis regimine; Et alia pro conſeruatione Principum temporalium, ac eorum ſtatuum bono regimine. Pro benefactoribus autem viuis totius Ordinis, & ſingulorum Monaſteriorum multiplicentur Miſſæ, ac orationes, quantùm fieri poteſt, vt cũ aliud, quod pro beneficijs acceptis reddamus, nobis non ſuppetat, ſaltem hoc modo gratam exhibeamus animorum ſignificationem. Quocirca prudentis Paſtoris munus erit, eos ſæpè in genere, & in ſpecie orationibus ſuorum Monachorum, & Fratrum commendare.

22. Ex actis Capituli de anno 1582. confirmatis deinceps, & ſemper innouatis. Sacerdotes omnes frequenter celebrent, (iuſto tamen ceſſante impedimento) vt ex deuotis, & aſsiduis orationibus noſtris, benefactorum Ordinis noſtri animæ ſalutare accipiant refrigerium, & ſempiternam quietem; & viuentes benefactores orationibus noſtris in Diuino timore perfectiùs ſtabiliantur, & maneant:

23. Ex actis Capituli de anno 1609. Nullus Prior de cætero debeat, nec poſsit ſuis Monachis licentiam concedere, celebrandi rem Diuinam, ſeù, vt materno idiomate fertur, Miſſam, extrà proprias Congregationis Eccleſias, ſub pœna Reuerendiſsimo arbitraria, præſertim acceptis ſtipendijs, vel factis conuentionibus de mercede, aut elemoſina accipienda, & vt expreſsius dicatur, Non intuitu mercedis, ſed ex mera deuotione hoc liceat Prioribus concedere.

24. Dùm Miſſæ priuatæ celebrantur, ardeant ſemper in Altari duæ candelæ à principio vſq; ad finem; etiam cum in hebdomada ſancta legitur Paſsio Domini, reſciſſo in hoc veteri ritu; Ac ad eleuationem ſanctiſsimi Corporis, & Sanguinis Domini accendatur Cereus, vel intertorticiũ. Dũ verò celebratur Miſſa conuentualis, diebus ferialibus, ac nõ feſtiuis ardeãt in Altari, vt ſuprà, duæ candelæ; Feſtiuis autem, & omnibus ſolemnibus quatuor; Solemniſsimis verò, ſeù præcipuis ardeant ſex; & ſemper in Miſſa conuentuali ad eleuationem, vt ſuprà, ardeant duo Cerei, vel duo intertorticia, vel etiam plura, cum Cantores paramentis induti inſeruiunt. Dùm recitantur, ſeù decantantur veſperæ, ardeant in Altari Maiori candelæ, vt ſupra. Cum verò celebratur feſtum alicuius Capellæ, vel Altaris ſolemniter, maior candelarum numerus accendatur in illo Altari, ac in Altari Maiori ſufficiant quatuor candelæ, vel vtrobiq; æqualiter. Dùm manet in Altari populo expoſitum ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, ardeant ſemper in illo Altari ad minus ſex luminaria, vel etiam plura, præſertim dũ exponitur ac remouetur, quod debet fieri vbiq; ſummo cum ſplendore, & munificentia, quantùm poſsibile eſt. Dùm decantatur poſt Completorium

diebus

diebus Sabbati Antiphona ad Altare Beatæ Virginis, ardeant similiter in illo ad minus duæ candelæ, vel etiam plures in festiuitatibus eiusdem Beatæ Virginis, seu dùm fiunt processiones ratione Indulgentiarum expositarum, ac dùm ipsæmet Indulgentiæ sunt expositæ.

25. Ecclesiæ, ac Altari est in omnibus ea maiori munificentia, ac splendore, quò fieri potest, inseruiendum, quia cultus, ac seruitium tunc verò Domino, Omnipotenti scilicet Deo exhibetur; Et ideò mandamus, vt candelæ sint ceræ albæ, ac perfectè elaboratæ, & vnciarum saltem trium pro singula diebus non solemnibus; vnciarum verò quatuor solemnibus, solemnissimis autem vnciarum sex ad minùs, Ac in festo præcipuo Patroni Ecclesiæ sint etiam maiores, iuxtà locorum consuetudinem. In Monasterijs autem ditioribus diebus ferialibus, & non solemnibus sint vnciarum quatuor, solemnibus vnciarum sex, & solemnissimis vnius libræ pro singula. Cerei accendendi in eleuatione Sanctissimi Corporis, & Sanguinis, vel intertorticia sint adminus duarum librarum pro singulo; Et in his inuigilent Superiores, nè appareat turpis auaritia, sed splendescat, vt decet, munificentia.

26. Diebus solemnissimis, scilicet Natiuitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis Beatæ Mariæ, Sanctissimi Patris Hieronymi, Omnium Sanctorum, ac Patroni, seu titularis propriæ Ecclesiæ, Priores omnes in suis Monasterijs (nisi infirmitatibus, aut alijs necessarijs impedimentis detineantur) faciant officium; hoc est Missam, & Vesperas solemnes cantent, ac etiam ad Matutinos Natiuitatis Domini de more faciant officium. In die autem Cenæ Domini solus Prior celebret, ac omnes tùm Sacerdotes, tùm Clerici, & etiam Layci Fratres de manu illius Sanctissimam Eucharistiam in eadem Missa recipiant. Præpositus verò Generalis iuxtà Priuilegium à Sancta Sede nuper concessum, Missam Pontificalem, & Vesperas singulo saltem anno diebus magis solemnibus celebret.

27. Prędictis diebus fiat Cōmunio generalis per omnes Clericos, ac Laycos Fratres de manibus Prioris. Præterea saltem semel in mense, festiuitatibus scilicet solemnioribus, vel tertia mensis Dominica, ac tempore Quadragesimæ, & Aduentus singula Dominica, debent quoq; Sacra Communione in Missa conuentuali refici, ac propria peccata Sacramentaliter confiteri.

28. Cum autem Sacerdotes Sacram Communionem (non celebrantes) recipiunt, dignitatis Sacerdotalis insignibus vtantur, stola scilicet ab humeris pendente in vestium parte superiori.

CAPVT IV.

De Campanarum pulſatione ad officium, ac alia exercitia.

29. DEbito tempore, iuxtà noctium augumentum, ac decrementum, à Superiore, vt infrà prudenter deſsignando, facto à Sacriſta per dormitorium, ad excitandos Monachos, ac Fratres, cum tabella ſigno, ſtatim pulſetur campana maior ad Matutinum; Ac tranſacto conuenienti interuallo, quò omnes ſe ad conueniendum in Eccleſia præparent, pulſetur campanula, & interim feſtinent ſinguli ad Chorum, vt ad ſignum Superioris incipiantur matutinæ preces. Si autem officium ſit duplex, pulſetur bis campana maior, ſcilicet ſemel vt ſuprà, & iterum immediatè antè campanulam. Sin officium fiat duplex maius, ideſt de Sanctis habentibus octauã, ac alijs ſolemnioribus, pulſentur ſimul omnes campanæ ter, facto debito interuallo, vt ſuprà. Vbi autem habentur plures campanæ, quàm duæ, ſeruetur particularis Monaſteriorum conſuetudo, pulſandi tantùm in duplicibus, ac feſtiuis ad Matutinum campanam maiorem, in alijs verò mediã, ſeù inferiorem, vel aliter iuxtà dictam conſuetudinem.

30. Idem ſeruetur modus pulſandi campanas ad Tertiam, ac ad Veſperas, præterquàm quòd tunc non debet fieri ſignum cum tabella in dormitorio ad excitandos Monachos.

31. Eodem pacto pulſetur ad Nonã, ac ad Completorium, ſcilicet prius campana maior, & poſt competens interuallum campanula. Sed temporibus æſtiuis, cum dormiunt Monachi in die, antequàm pulſetur campana maior ad Nonam, fiat ſignum cum tabella per dormitorium ad excitandos Monachos. Vbi verò campanæ ſunt plures duabus, ad Nonam, & Completorium pulſetur campana media, ſeù alia iuxtà Monaſteriorum conſuetudinem, vt ſuprà.

32. Ad Sanctus in Miſſa conuentuali pulſetur campana maior nonnullis ictibus de more. Similiter ad eleuationem ſanctiſsimi corporis, ac etiam Sanctiſsimi Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in eadem Miſſa; Ad quos quidem eleuationis ictus omnes, ſiuè in Monaſterio, ſiuè extrà degãt, genua deuotè flectant, ac orent vſq; ad vltimum ictum.

33. Pulſetur quoq; eodem modo campana maior nonnullis ictibus ad Aue Maria in ſero, & in aurora, ſeù abſoluto Matutino iuxtà noſtram conſuetudinem; Necnon in meridie, vbi eſt ritus: Scilicet prima vice tribus ictibus, ſecunda quinq;, & tertia ſeptem; Ac omninò tollatur abuſus in nõnullis noſtris Monaſterijs inductus, pulſandi ad Aue Maria, ac ad Sanctus omnes campanas inſimul in feſtis ſolemnioribus.

34. Ad Miſſam, ſeù ad officium ſolemne pro defunctis pulſentur omnes campanæ ſimul tribus ſignis extenſè. Similiter ad Veſperas, ac ad officiũ

de mane in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum faciendum. Ad Sanctus, ac ad eleuationem Sanctissimi Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi in eisdem Missis pulsentur ter campanæ omnes extensè, & non per ictus, vt fit in alijs Missis scilicet semel ad Sanctus, ac iterum ad eleuationem Sanctissimi Corporis, & tertiò ad eleuationem Sanctissimi Sanguinis Domini Nostri.

35. Cum Monachus, vel Frater aliquis grauiter ægrotat, ac ei deferendū est Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, pulsetur campanula tribus signis extensè ad conuocandos Monachos, ac Fratres in Ecclesia. Item cum eisdem infirmis ministranda est Extrema vnctio. Item cum post mortem sunt eorum cadauera deferenda in Ecclesiam. Statim verò, ac Monachus, vel Frater eflauerit animam, pulsentur, vt dici solet, ad Aue Maria prò defunctis, omnes campanæ simul tribus signis extensè, quibus addatur aliud signum magis protensum. Similiter pulsentur omnes campanę, dùm cadauer processionaliter defertur ad Ecclesiam, donec ad ipsam peruenerit. Item in sero, dùm dandum est signum pro officio solemni in crastino fiēdo; Et hoc etiam fiat, cum alia officia sunt pro defunctis solēniter fienda.

36. Detur quoq; signum ad præmonendum populum in serò dierum præcedentium festiuitates solemnes omnibus campanis, non extensè, sed iuxtà solitum pulsatis; Ac quotiescunq; solemnis aliqua processio est die sequenti habenda.

37. Ad concionem tempore Quadragesimæ, vel alio in Ecclesijs nostris habendam pulsetur in sero, & de mane campana maior, iuxtà locorum, & aliarum Ecclesiarum consuetudinem.

38. Antè Missas omnes, ad premonendum populum, pulsetur campanula vnico signo, in cuius fine addantur nonnulli ictus; Ac dùm Sacerdos celebraturus è Sacrastia egreditur, pulsetur alia campanula magis parua, quæ ad hunc effectum apud ianuam Sacrastię, in ingressu Ecclesiæ habeatur, sicut in eleuatione sanctissimi Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi in omnibus Missis per Clericum est pulsanda campanula ad effectū præmonendi astantes, vt deuotius insistant.

39. Ad Capitulum conuocandum pulsetur campana minor tribus signis extensè, quamuis quandò est ob negotia non magni admodum momenti congregandum, possit eadem pacto, ad libitum Prioris, pulsari campanula, quam Refectorij appellamus. Item eodem pacto pulsetur campana minor ad Capitulum culparum.

40. Ad dormitionem autem diurnam, & nocturnam pulsetur eadem cāpana vnico signo. Item ad conuocandum Fratres ad benedictionem à Superiore post Completorium recipiendam. Item ad lectionem post Nonā diebus festiuis capitulariter habendam. Item absoluto officio, quandò eundum est ad prandium.

41.

41. Habeatur etiam apud Refectorium campanula appensa, quæ duobus signis debitè, iuxtà ordinem Superioris, interpolatis, pulsetur, cum Monachi sunt conuocandi ad prandium, vel cęnã, seù paruam colationem diebus ieiunij; Ac tribus signis successiuis, cum conuocandi sunt ad panem conficiendum, & alia humilitatis exercitia, ex obedientia ad libitum Superioris iniungenda; Et nonnullis ictibus, cum iuuenes sunt ad lectiones in proprijs scholis conuocandi.

42. Sit quoq; apud ianuam communem Monasterij alia campanula, cùm duplici cordula, intus, & extrà ab ea pendente, mediante qua possint tùm intrà, tùm extrà Monasterium degentes, Ianitorem pręmonere, vt ad ianuã adaperiendam præstò accedat.

43. Sit tandem apud commune hospitium alia campanula, qua præmoneatur, seù vocetur, cum opus erit, is, qui hospitij curam gerit. Sicut datis duobus, aut tribus ictibus campanę minoris solemus Sacristam, & duobus, aut tribus ictibus campanulæ Refectorij Cellarium, & signo magis protenso eiusdem campanulæ illum, qui cellæ vinariæ præest, vocare.

C A P V T V.

De Cæremonijs per Monachos in principio horarum, & dùm Diuina peraguntur, efficiendis.

44. STatim itaq; ac audient campanulam ad Matutinum, ac ad alias horas, omnes, vt prædicitur (grauiter tamen; vt proprij instituti ratio postulat) festinent ad Ecclesiam, ac in eius ingressu aspergant se acqua benedicta dicentes, Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Et progredientes faciant genuflexionem profundam versus Altare maius, in quo asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ac simul illud deuotè adorantes dicant. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum. Et deindè profundam inclinationem faciant versus Priorem, & sic ad sedes, quę eis iuxtà primogenitam Religionis, aut gradum, quem inter alias obtinent, conueniunt, se recipiant. Vbi positi, genua flectant versus Altare, ac secretè orent, donec facto signo per Priorem, vel Vicariũ in eius absentia, aut Hebdomadarium, illis absentibus, à pulsanda campanula sistatur. Et tunc omnes se errigant, & mox è regione profundè inclinanti, dicant singuli secretò Pater noster cum Aue Maria, & etiam Credo antè Matutinum, & Primam tantùm, antè alias autem horas solum Pater noster cum Aue Maria, vt in Rubricis Breuiarij; Quibus expeditis Hebdomadarius se errigat, & cum eo omnes, ac versis vultibus ad Altare, ad Matutinũ incipiat, voce competenti, scilicet non nimis eleuata, nec nimis depressa, pronuncians. Domine labia mea aperies; ac simul police manus dexterę

muniat

muniat se signo crucis in ore. Cui, dum per omnes de Choro respondetur in eadem voce: Et os meum annunciabit laudem tuam, eodem pacto se muniant singuli signo crucis. Quo responso, dicat Hebdomadarius. Deus in adiutorium meum intende, signo crucis tota manu dextera se iterũ muniens per totum corpus. Cui cœteri respondentes, Domine ad adiuuandũ me festina, idem faciant. Et deindè se è regione vertentes, ac profundè inclinantes, prosequantur omnes simul, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto &c. Ad sicut erat, &c. autẽ se errigant. Et hic modus seruetur etiã in omnibus alijs horis canonicis inchoandis, etiam in officio paruo Beatæ Mariæ. Sed ad Completorium, cùm ab Hebdomadario intonatur. Conuerte nos Deus salutaris noster, tunc se signet police manus dexteræ in pectore, quod idem faciant reliqui, dùm respondent, Et auerte iram tuam à nobis &c.

45. Reliquas cęremonias in progressu Officij, in Missa conuentuali, Capitulo, Refectorio, & alijs actibus publicis per Monachos efficiendas; quia nimis esset prolixum sigillatim describere; Ideò eas ad generales quosdam modos ex veteri Ordinario deductos, quibus Monachi in prædictis se habere debent, referentes, eos hic subnectimus, admonentes illos regulam, ac normam omnis praxis esse debere, & ob id Superioribus, & maximè Vicarijs esse inuigilandum, nè ritus ab his diuersi inducantur, & si qui iam irrepserint, omninò auferantur.

46. Debent itaq; Monachi in Choro se habere è regione, seu versis vultibus ad alterutrum, ad Inuitatorium, Hymnos, & Psalmos, prętorquàm quãdò sunt antè facistorium, & ad lectiones, & Responsoria cum suis versiculis, necnon ad preces omnes, ac ad primas orationes, & quotiescunq; omnes profundè se insimul inclinant.

47. Ad reliqua autem omnia tùm in officio, tùm in Missa conuentuali habeant vultus versus Altare, ac etiam quotiescunq; vnus solus, vel duo simul aliquid dicunt, vel decantant, aut intonant.

48. Profundè verò se inclinant (hoc est medium corpus simul cum capite ità flectunt, vt manuum palmæ genibus commodè applicari possint) in principio horarum, & alias semper, dùm secretò dicitur Pater noster, Aue Maria, & Credo, præterquam in precibus ferialibus, ac gradualibus, cum flexis genibus dicendę sunt. Et quotiescunq; dicitur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Et ad totam vltimam periodum omnium Hymnorum. Et in cãtico Benedicite omnia opera Domini Domino &c. dùm pronunciatur versus, Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu, laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. Et in Psalmo, Laudate Dominum omnes gentes. Ad illa verba, sit nomen Domini benedictum. Et ad Matutinum in Psalmo, Venite exultemus &c. ad illa verba, Venite adoremus; & procidamus antè Deum. Et ad omnes primas orationes tàm in Officio,

quàm

quàm in Missa vsq; ad conclusionem, nisi tunc debeant esse flexis genibus: Et dum datur benedictio à Superiore in fine Primæ, ac Completorij: Et quotiescunque recipitur benedictio antè lectiones ad Matutinum, vel antè lectionem breuem ad Primam, & ad Completorium, vel etiam in Refectorio ad benedictionem mensæ profundè se inclinat is tantùm, qui legere debet. Et in Missa ad Gloria in excelsis, cùm dicitur, Adoramus te, & Gratias agimus tibi, & Suscipe deprecationem nostram. Et ad Credo, cùm dicitur, simul adoratur &c. Et in Refectorio ad benedictionem mensæ, ac gratiarũ actionem, dùm dicuntur orationes. Cantores verò, ac Versicularij post intonationes psalmorum, & antiphonarum, vel postquàm aliquid soli, vel duo associati decantauerint, vel dixerint, profundam faciãt inclinationem. Et quotiescunq; nobis occurrunt nostri Superiores, scilicet Reuerendissimus Præpositus Generalis, vel Priores, aut antè eos transimus, illis profundè inclinamus. Similiter dùm transimus antè imagines Domini nostri, Beatæ Mariæ, ac sanctissimi Patris nostri Hieronymi.

49. Caput autem tantùm inclinamus, cùm nominamus, vel audimus nomina Iesus, Beatæ Mariæ, ac Patris nostri Sanctissimi Hieronymi, ac antè imagines Sanctorum transimus, vel ante alios Superiores nostros, vel Patres grauiores. Ac ab adolescentibus, & laycis Fratribus idem erit præstandum; dùm transeunt antè quoslibet Sacerdotes. Et ab Hebdomadario quoq; caput versus Altare inclinatur post intonationem psalmorum pronunciationem Capitulorum, vel cuiusuis alterius partis officij ab eo solo dicendæ, vel intonandæ.

50. Genua verò flectimus, quotiescunque transimus antè Altare, vbi asseruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Et apud sedes nostras, donec fiat à Superiore signum inchoandi Officium. Et dum dicuntur preces feriales tẽpore Quadragesimæ, & Aduentus, ac in vigilijs, & ferijs quatuor temporum, vt in Rubricis Breuiarij. Et ad antiphonam B. Mariæ, quæ dicitur post Officium, scilicet post Dominus det nobis suam pacem &c. excepto tempore Paschali, ac diebus Dominicis, vt in eisdem Rubricis. Et in Missis feriarum Aduentus, Quadragesimæ quatuor Temporum, & vigiliarum, quibus ieiunatur, ac etiàm in Missis defunctorum ad Orationes, quę dicuntur tàm antè Epistolam, quàm expleta communione, ac ad orationem, quæ dicitur suprà populum tempore Quadragessimæ, vt in Rubricis Missalis. Et dùm dicitur, Flectamus genua, antè orationes feriales. Et ad totum versum, Adiuua nos Deus salutaris noster, &c. qui dicitur in Tractu dieb. Quadragessimæ. Et ad totũ versum Veni sancte Spiritus, &c. qui dicitur post Alleluia in Missa de sancto Spiritu; Et ad Credo, dum dicuntur illa verba, Et incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est. Et in præfatione ad verba, Gratias agamus Domino Deo nostro. Et in Euangelio Ioannis, quod dicitur in fine Missæ, ad

illa

illa verba, Et verbum caro factum est &c. Et in omnibus alijs locis, in quibus hoc animaduertitur à Rubricis Missalis Romani. Et in Missa conuentuali decantato Offertorio vsque ad Præfationem, & post Sanctus vsque ad Agnus Dei, & dictis Agnus Dei vsq; ad Postcommunionem, sumpto sanctissimo Sanguine à Sacerdote, & ad benedictionem, quę datur in fine Missæ. In Missis verò paruis, siuè non decantatis circunstantes semper genua flectant, præterquam quandò leguntur vtraque Euangelia. Genua quoq; flectimus, quotiescunq; accepimus benedictionem à Priore, vel alijs Superioribus è Monasterio egressuri, vel post regressum, & post Aue Maria, aut cum dormitum imus, aut aliàs quandòcunq; . Item cum coram eis culpas dicimus, vel ab eis quomodolibet repræhendimur.

51. Numquàm autem Monachos sedere in Choro permittant Superiores, nisi Sacerdotes, & prouectiores tantùm, si ità Priori videatur; & hoc dùm dicunt apud sedes Psalmos, quamuis ad Gloria Patri &c. semper debeant surgere, ac se inclinare, vt suprà. Ad Psalmos autē in officio B. MARIAE semper debent stare, & ad Quicunq;, quod dicitur ad Primam, & ad Cantica Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis, ac extrà proprias sedes, capitibus detectis. Possunt quoq; permittere, vt sedeant etiam ad lectiones, quæ dicuntur ad Matutinum in officio maiori, præterquam dum legitur Euangelium. Et in Missa, dùm cantatur Epistola, & profetiæ. Item dùm cantatur à Cantoribus versus post Alleluia, & post Graduale. In omnibus verò alijs semper sint stantes, vel genibus flexis vt suprà.

52. Sint tandem Monachi detectis capitibus, ac saltem medio capite, in ingressu Ecclesiæ ac exitu, dùm genua flectunt versus Altare, ac Superiori se inclinant; Et dùm dicuntur primæ orationes, vsq; ad per Dominum &c. tàm in officio, & horis Canonis, quàm in Missa, etiam ad orationem suprà populum, & dùm dicuntur capitula, & cantica Benedictus, Magnificat, & Nunc dimittis. Et ad Euangelia. Et dùm dicitur Confiteor, ac datur absolutio ad Primam, & Completorium, & aliàs quomodolibet. Et quandò datur benedictio in fine Missæ, vel Completorij, & Primæ, aut alias quomodocunq; . Et in eleuatione Sanctissimi Corporis, & Sanguinis Domini nostri, ac ad eius sumptionem, necnon dùm faciunt Communionem Sacram in Missa Clerici, & Fratres. Et cùm fit benedictio mensæ, dùm de mane dicitur. Agimus tibi gratias &c. & in sero Benedictus &c. & in gratiarum actione, dùm dicitur oratio, Retribuere &c. & quotiescunq; genua flectunt, præterquam dùm dicuntur preces; & dùm prolixè orant post Matutinos, & Completorium, & dùm Superiores nostros, aut aliòs Prælatos digniores alloquimur.

53. His addimus, debere Monachos in Choro antè faciflorium esse, dùm dicuntur Hymni, Psalmi, & Antiphonæ ad Matutinum, & Laudes, saltem in officio maiori. Ad reliquas verò horas poterunt apud sedes suas manere,

K præter-

præterquàm dùm dicuntur Psalmi,& Hymni feriales ad Vesperas Versicularius verò solus (cùm officium est de feria, aut de simplici) vel cum adiuncto sibi subuersiculario (si officium sit duplex, semiduplex, vel de Dominica) manebit antè facistorium, dùm dicit inuitatorium cum Psalmo, Venite, etiam in officio paruo Beatę Virginis, & dùm pronunciat lectiones,& Responsoria eiusdem officij (lectiones enim, & Responsoria officij maioris sunt antè Superiorem perlegenda.) Similiter dùm dicit Antiphonas,& Responsoria breuia ad horas, quamuis cum sit officium de feria, vel simplici possit huiusmodi in sede sua dicere, sicut versiculos, & Antiphonas in Officio B. Virginis. Et hæc dùm officium dicitur sine cantu. Cum autem officium cantatur, manebunt omnes Monachi antè facistorium, dùm cantatur ad Matutinum inuitatorium cum Psalmo Venite, Hymni, Antiphonæ, Psalmi,& Canticum Benedictus; Ac dùm decantantur Antiphonæ, & Responsoria breuia ad horas; & dùm cantantur Antiphonæ,& Hymnus ad Vesperas, præterquàm in officio de Dominica, quià tunc Antiphonas solemus cantare in proprijs sedibus. Et dùm cantatur Antiphona, Hymnus,& Responsoria breuia, necnon Antiphona ad Nunc dimittis ad Completorium, Versicularius autem manet ibi cum adiuncto sibi subuersiculario, cum per eos decantandum est, Benedicamus Dominó, in officio semiduplici, vel de Dominica, nam in officio de feria, ac trium lectionum debet illud solus decantare apud propriam sedem. Similiter, cum pronunciat Antiphonas, aut aliam partem officij, vel Versiculos, aut alia in Missa, dùm organa pulsantur. In Missa autem conuentuali manent omnes Monachi antè facistorium, dùm cantatur Introitus cum suo Versiculo, & Gloria Patri, dùm cantantur Kyrialia, & Gloria in excelsis, Graduale cum suo versu & Alleluia, vel Tractus, Credo, Offertorium, Sanctus, Agnus,& Postcommunio. In reliquis apud sedes suas manebunt flexis genibus, vel erecti, è regione, vel conuersis ad Altare vultibus, vt prædicitur.

CAPVT VI.

De efficiendis per Monachos, cum tardè ad Chorum, vel alios actus publicos accedunt, uel tempestiuè recedunt, aut in eis ex negligentia, uel aliter errant.

34. SI quis ad Chorum tardè accesserit, cępto scilicet officio, ac absoluto Gloria Patri &c. quod dicitur post Deus in adiutorium &c. is ad accusandam negligentiam suam inclinatus maneat apud facistorium versus Altare, donec à Superiore ei fiat signum indè recedendi. Si autem aliquis cępto officio, necessitatis causa cogatur à Choro recedere non statim reuersurus, in medio Chori inclinatus versus Superiorem, ac manu pe-

ctori apposita, indicens se veniam postulare, expectet ab eo signum licentiæ indè recedendi.

55. Qui tardè ad Refectorium accesserit, cœpta scilicet benedictione, aut ad Capitulum, genuflexus in medio Refectorij, vel Capituli antè Superiorem, ac manu pectus percutiens expectet, donec ab eo sibi fiat signum surgendi. Idem efficiat, si necessitate impulsus voluerit à Refectorio, vel Capitulo recedere.

56. Qui in Choro, dùm dicitur officium, leuiter errauerit, is statim capite detecto inclinatus versus Superiorem, pectus sibi percutiat. Si autem notabiliter errauerit, illicò genua flectat, ac ità maneat, donec fiat sibi à Superiore surgendi signum. Idem efficiat, si strepitum aliquem fecerit, aut in suo munere negligenter se gesserit. In Refectorio verò, qui aliquem excessum commiserit, vt vasa versando, vel frangendo &c. si fuerit sedens in mensa, statim detecto capite surgat, ac inclinatus versus Superiorem pectus percutiendo, expectet ab eo sedendi signum. Si verò non fuerit sedens, genua flectat antè Superiorem, ac expectet signum, vt suprà. Idem fiat vbicunq; quis aliquem errorem coram Priore commiserit.

57. Cùm Prior ad Chorum accesserit, aut ad alium locum, in quo Monachi, & Fratres existunt, vel ab eo recesserit, si fuit sedentes, statim assurgant, ac capita detegentes ei reuerenter se inclinent; vicem enim Dei super eorũ capita gerens; & eorum spiritualis Pater existens, est ab omnibus vti Pater in honore habendus, ac diligendus. Si verò fuerit genibus flexis, non assurgant, sed tantùm capita detegant, ac ei humiliter se inclinent. Idem efficiant, si accesserit, aut recesserit aliquis alius ex Superioribus eminentioribus, & multò magis si Præpositus Generalis. Versus autem Vicarium, ac alios Patres graduatos, vel prouectiores, dùm accesserint, ac recesserint, tantùm capita inclinent. Adolescentiores autem, & layci Fratres omnibus etiam Sacerdotibus, capitibus detectis, vt suprà, se inclinent.

CAPVT VII.

De Ceremonijs tàm in Missis, quàm Vesperis per celebrantem, & Ministros efficiendis.

58. Caeremoniæ tùm in Missis priuatis, tùm in decantãdis, ac solemnibus, per celebrãtem, & Ministros fiendæ, ommisso ritu veteri alioǵ in Ordinario nostro descripto, fiant omninò iuxtà ritum Missalis Romani demùm reformati, vel prò tempore auctoritate Summi Pontificis reformãdi, ac Missæ ordinentur, & dirigantur prorsus iuxtà illum. Ac etiam Altarium paramenta, & Sacerdotalia sint iuxtà easdem Rubricas, & omninò Ecclesiæ nostræ teneantur, & regantur, quãtùm fieri potest, iuxtà ritum Ro-

ſimo Cardinali pro tempore apud Sanctam Sedem Congregationis noſtræ Protectore, & eius bona protectione. Alia pro Reuerendiſsimo noſtro Præpoſito Generali, ac bona Congregationis noſtræ directione; Et nunc addimus; Alia pro Epiſcopo Diœceſano, & bono Diœceſis regimine; Et alia pro conſeruatione Principum temporalium, ac eorum ſtatuum bono regimine. Pro benefactoribus autem viuis totius Ordinis, & ſingulorum Monaſteriorum multiplicentur Miſſæ, ac orationes, quantum fieri poteſt, vt cũ aliud, quod pro beneficijs acceptis reddamus, nobis non ſuppetat, ſaltem hoc modo gratam exhibeamus animorum ſignificationem. Quocirca prudentis Paſtoris munus erit, eos ſæpè in genere, & in ſpecie orationibus ſuorum Monachorum, & Fratrum commendare.

22. Ex actis Capituli de anno 1582. confirmatis deinceps, & ſemper innouatis. Sacerdotes omnes frequenter celebrent, (iuſto tamen ceſſante impedimento) vt ex deuotis, & aſsiduis orationibus noſtris, benefactorum Ordinis noſtri animæ ſalutare accipiant refrigerium, & ſempiternam quietem; & viuentes benefactores orationibus noſtris in Diuino timore perfectiùs ſtabiliantur, & maneant:

23. Ex actis Capituli de anno 1609. Nullus Prior de cętero debeat, nec poſsit ſuis Monachis licentiam concedere, celebrandi rem Diuinam, ſeù, vt materno idiomate fertur, Miſſam, extrà proprias Congregationis Eccleſias, ſub pœna Reuerendiſsimo arbitraria, præſertim acceptis ſtipendijs, vel factis conuentionibus de mercede, aut elemoſina accipienda, & vt expreſsius dicatur, Non intuitu mercedis, ſed ex mera deuotione hoc liceat Prioribus concedere.

24. Dùm Miſſæ priuatæ celebrantur, ardeant ſemper in Altari duæ candelæ à principio vſq; ad finem; etiam cum in hebdomada ſancta legitur Paſsio Domini, reſciſſo in hoc veteri ritu; Ac ad eleuationem ſanctiſsimi Corporis, & Sanguinis Domini accendatur Cereus, vel intertorticiũ. Dũ verò celebratur Miſſa conuentualis, diebus ferialibus, ac nõ feſtiuis ardeãt in Altari, vt ſuprà, duæ candelæ; Feſtiuis autem, & omnibus ſolemnibus quatuor; Solemniſsimis verò, ſeù præcipuis ardeant ſex; & ſemper in Miſſa conuentuali ad eleuationem, vt ſuprà, ardeant duo Cerei, vel duo intertorticia, vel etiam plura, cum Cantores paramentis induti inſeruiunt. Dùm recitantur, ſeù decantantur veſperæ, ardeant in Altari Maiori candelæ, vt ſupra. Cum verò celebratur feſtum alicuius Capellæ, vel Altaris ſolemniter, maior candelarum numerus accendatur in illo Altari, ac in Altari Maiori ſufficiant quatuor candelæ, vel vtrobiq; æqualiter. Dùm manet in Altari populo expoſitum ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, ardeant ſemper in illo Altari ad minus ſex luminaria, vel etiam plura, præſertim dũ exponitur ac remouetur, quod debet fieri vbiq; ſummo cum ſplendore, & munificentia, quantùm poſsibile eſt. Dùm decantatur poſt Completorium

diebus Sabbati Antiphona ad Altare Beatæ Virginis, ardeant similiter in illo ad minus duæ candelæ, vel etiam plures in festiuitatibus eiusdem Beatæ Virginis, seù dùm fiunt processiones ratione Indulgentiarum expositarum, ac dùm ipsæmet Indulgentię sunt expositæ.

25. Ecclesiæ, ac Altari est in omnibus ea maiori munificentia, ac splendore, quò fieri potest, inseruiendum, quia cultus, ac seruitium tunc verò Domino, Omnipotenti scilicet Deo exhibetur; Et ideò mandamus, vt candelæ sint ceræ albæ, ac perfectè elaboratæ, & vnciarum saltem trium pro singula diebus non solemnibus; vnciarum verò quatuor solemnibus, solemnissimis autem vnciarum sex ad minùs, Ac in festo pręcipuo Patroni Ecclesiæ sint etiam maiores, iuxtà locorum consuetudinem. In Monasterijs autem ditioribus diebus ferialibus, & non solemnibus sint vnciarum quatuor, solemnibus vnciarum sex, & solemnissimis vnius libræ pro singula. Cerei accendendi in eleuatione Sanctissimi Corporis, & Sanguinis, vel intertorticia sint adminus duarum librarum prò singulo; Et in his inuigilet Superiores, nè appareat turpis auaritia, sed splendescat, vt decet, munificentia.

26. Diebus solemnissimis, scilicet Natiuitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis Beatæ Mariæ, Sanctissimi Patris Hieronymi, Omnium Sanctorum, ac Patroni, seu titularis propriæ Ecclesiæ, Priores omnes in suis Monasterijs (nisi infirmitatibus, aut alijs necessarijs impedimentis detineantur) faciant officium; hoc est Missam, & Vesperas solemnes cantent, ac etiam ad Matutinos Natiuitatis Domini de more faciant officium. In die autem Cenæ Domini solus Prior celebret, ac omnes tùm Sacerdotes, tùm Clerici, & etiam Layci Fratres de manu illius Sanctissimam Eucharistiam in eadem Missa recipiant. Præpositus verò Generalis iuxtà Priuilegium à Sancta Sede nuper concessum, Missam Pontificalem, & Vesperas singulo saltem anno diebus magis solemnibus celebret.

27. Prędictis diebus fiat Cōmunio generalis per omnes Clericos, ac Laycos Fratres de manibus Prioris. Præterea saltem semel in mense, festiuitatibus scilicet solemnioribus, vel tertia mensis Dominica, ac tempore Quadragesimæ, & Aduentus singula Dominica, debent quoq; Sacra Communione in Missa conuentuali refici, ac propria peccata Sacramentaliter confiteri.

28. Cum autem Sacerdotes Sacram Communionem (non celebrantes) recipiunt, dignitatis Sacerdotalis insignibus vtantur, stola scilicet ab humeris pendente in vestium parte superiori.

de mane in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum faciendum. Ad Sanctus, ac ad eleuationem Sanctissimi Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi in eisdem Missis pulsentur ter campanæ omnes extensè, & non per ictus, vt fit in alijs Missis scilicet semel ad Sanctus, ac iterum ad eleuationem Sanctissimi Corporis, & tertiò ad eleuationem Sanctissimi Sanguinis Domini Nostri.

35. Cum Monachus, vel Frater aliquis grauiter ægrotat, ac ei deferendũ est Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, pulsetur campanula tribus signis extensè ad conuocandos Monachos, ac Fratres in Ecclesia. Item cum eisdem infirmis ministranda est Extrema vnctio. Item cum post mortem sunt eorum cadauera deferenda in Ecclesiam. Statim verò, ac Monachus, vel Frater eflauerit animam, pulsentur, vt dici solet, ad Aue Maria prò defunctis, omnes campanæ simul tribus signis extensè, quibus addatur aliud signum magis protensum. Similiter pulsentur omnes campanę, dùm cadauer processionaliter defertur ad Ecclesiam, donec ad ipsam peruenerit. Item in sero, dùm dandum est signum pro officio solemni in crastino fiẽdo; Et hoc etiam fiat, cum alia officia sunt pro defunctis solẽniter fienda.

36. Detur quoq; signum ad præmonendum populum in serò dierum præcedentium festiuitates solemnes omnibus campanis, non extensè, sed iuxtà solitum pulsàtis; Ac quotiescunq; solemnis aliqua processio est die sequenti habenda.

37. Ad concionem tempore Quadragesimæ, vel alio in Ecclesijs nostris habendam pulsetur in sero, & de mane campana maior, iuxtà locorum, & aliarum Ecclesiarum consuetudinem.

38. Antè Missas omnes, ad premonendum populum, pulsetur campanula vnico signo, in cuius fine addantur nonnulli ictus; Ac dùm Sacerdos celebraturus è Sacrastia egreditur, pulsetur alia campanula magis parua, quæ ad hunc effectum apud ianuam Sacrastię, in ingressu Ecclesiæ habeatur, sicut in eleuatione sanctissimi Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi in omnibus Missis per Clericum est pulsanda campanula ad effectũ præmonendi astantes, vt deuotius insistant.

39. Ad Capitulum conuocandum pulsetur campana minor tribus signis extensè, quamuis quandò est ob negotia non magni admodum momenti congregandum, possit eadem pacto, ad libitum Prioris, pulsari campanula, quam Refectorij appellamus. Item eodem pacto pulsetur campana minor ad Capitulum culparum.

40. Ad dormitionem autem diurnam, & nocturnam pulsetur eadem cãpana vnico signo. Item ad conuocandum Fratres ad benedictionem à Superiore post Completorium recipiendam. Item ad lectionem post Nonã diebus festiuis capitulariter habendam. Item absoluto officio; quandò eundum est ad prandium.

41. Habeatur etiam apud Refectorium campanula appensa, quæ duobus signis debitè, iuxtà ordinem Superioris, interpolatis, pulsetur, cum Monachi sunt conuocandi ad prandium, vel cęnã, seù paruam colationem diebus ieiunij; Ac tribus signis successiuis, cum conuocandi sunt ad panem conficiendum, & alia humilitatis exercitia, ex obedientia ad libitum Superioris iniungenda; Et nonnullis ictibus, cum iuuenes sunt ad lectiones in proprijs scholis conuocandi.

42. Sit quoq; apud ianuam communem Monasterij alia campanula, cùm duplici cordula, intus, & extrà ab ea pendente, mediante qua possint tùm intrà, tùm extrà Monasterium degentes, Ianitorem pręmonere, vt ad ianuã adaperiendam præstò accedat.

43. Sit tandem apud commune hospitium alia campanula, qua præmoneatur, seù vocetur, cum opus erit, is, qui hospitij curam gerit. Sicut datis duobus, aut tribus ictibus campanę minoris solemus Sacristam, & duobus, aut tribus ictibus campanulæ Refectorij Celarium, & signo magis protenso eiusdem campanulæ illum, qui cellæ vinariæ præest, vocare.

CAPVT V.

De Cæremonijs per Monachos in principio horarum, & dùm Diuina peraguntur, efficiendis.

44. STatim itàq; ac audient campanulam ad Matutinum, ac ad alias horas, omnes, vt prædicitur (grauiter tamen, vt proprij instituti ratio postulat) festinent ad Ecclesiam, ac in eius ingressu aspergant se acqua benedicta dicentes; Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Et progredientes faciant genuflexionem profundam versus Altare maius, in quo asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ac simul illud deuotè adorantes dicant. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum. Et deindè profundam inclinationem faciant versus Priorem, & sic ad sedes, quę eis iuxtà primogenitam Religionis, aut gradum, quem inter alias obtinent, conueniunt, se recipiant. Vbi positi, genua flectant versus Altare, ac secretè orent, donec facto signo per Priorem, vel Vicariũ in eius absentia, aut Hebdomadarium, illis absentibus, à pulsanda campanula sistatur. Et tunc omnes se errigant, & mox è regione profundè inclinanti, dicant singuli secretò Pater noster cum Aue Maria, & etiam Credo antè Matutinum, & Primam tantùm, antè alias autem horas solum Pater noster cum Aue Maria, vt in Rubricis Breuiarij; Quibus expeditis Hebdomadarius se errigat, & cum eo omnes, ac versis vultibus ad Altare, ad Matutinũ incipiat, voce competenti, scilicet non nimis eleuata, nec nimis depressa, pronuncians, Domine labia mea aperies; ac simul police manus dexterę

muniat

muniat se signo crucis in ore. Cui, dum per omnes de Choro respondetur in eadem voce: Et os meum annunciabit laudem tuam, eodem pacto se muniant singuli signo crucis. Quo responso, dicat Hebdomadarius. Deus in adiutorium meum intende, signo crucis tota manu dextera se iterũ muniens per totum corpus. Cui cœteri respondentes, Domine ad adiuuandũ me festina, idem faciant. Et deindè se è regione vertentes, ac profundè inclinantes, prosequantur omnes simul, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto &c. Ad sicut erat, &c. autẽ se erigant. Et hic modus seruetur etiã in omnibus alijs horis canonicis inchoandis, etiam in officio paruo Beatæ Mariæ. Sed ad Completorium, cùm ab Hebdomadario intonatur. Conuerte nos Deus salutaris noster, tunc se signet police manus dexteræ in pectore, quod idem faciant reliqui, dùm respondent, Et auerte iram tuam à nobis &c.

45. Reliquas cęremonias in progressu Officij, in Missa conuentuali, Capitulo, Refectorio, & alijs actibus publicis per Monachos efficiendas; quia nimis esset prolixum sigillatim describere; Ideò eas ad generales quosdam modos ex veteri Ordinario deductos, quibus Monachi in prædictis se habere debent, referentes, eos hic subnectimus, admonentes illos regulam, ac normam omnis praxis esse debere, & ob id Superioribus, & maximè Vicarijs esse inuigilandum, nè ritus ab his diuersi inducantur, & si qui iam irrepserint, omninò auferantur.

46. Debent itaq; Monachi in Choro se habere è regione, seu versis vultibus ad alterutrum, ad Inuitatorium, Hymnos, & Psalmos, prętерquàm quãdò sunt antè facistorium, & ad lectiones, & Responsoria cum suis versiculis, necnon ad preces omnes, ac ad primas orationes, & quotiescunq; omnes profundè se insimul inclinant.

47. Ad reliqua autem omnia tùm in officio, tùm in Missa conuentuali habeant vultus versus Altare, ac etiam quotiescunq; vnus solus, vel duo simul aliquid dicunt, vel decantant, aut intonant.

48. Profundè verò se inclinant (hoc est medium corpus simul cum capite ità flectunt, vt manuum palmæ genibus commodè applicari possint) in principio horarum, & alias semper, dùm secretò dicitur Pater noster, Aue Maria, & Credo, prætерquam in precibus ferialibus, ac gradualibus, cum flexis genibus dicendę sunt. Et quotiescunq; dicitur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Et ad totam vltimam periodum omnium Hymnorum. Et in cãtico Benedicite omnia opera Domini Domino &c. dùm pronunciatur versus, Benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spiritu, laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. Et in Psalmo, Laudate Dominum omnes gentes. Ad illa verba, sit nomen Domini benedictum. Et ad Matutinum in Psalmo, Venite exultemus &c. ad illa verba, Venite adoremus, & procidamus antè Deum. Et ad omnes primas orationes tàm in Officio,

quàm in Missa vsq; ad conclusionem, nisi tunc debeant esse flexis genibus: Et dum datur benedictio à Superiore in fine Primæ, ac Completorij: Et quotiescunque recipitur benedictio antè lectiones ad Matutinum, vel antè lectionem breuem ad Primam, & ad Completorium, vel etiam in Refectorio ad benedictionem mensæ profundè se inclinat is tantùm, qui legere debet. Et in Missa ad Gloria in excelsis, cùm dicitur, Adoramus te, & Gratias agimus tibi, & Suscipe deprecationem nostram. Et ad Credo, cùm dicitur, simul adoratur &c. Et in Refectorio ad benedictionem mensæ, ac gratiarū actionem, dùm dicuntur orationes. Cantores verò, ac Versicularij post intonationes psalmorum, & antiphonarum, vel postquàm aliquid soli, vel duo associati decantauerint, vel dixerint, profundam faciāt inclinationem. Et quotiescunq; nobis occurrunt nostri Superiores, scilicet Reuerendissimus Præpositus Generalis, vel Priores, aut antè eos transimus, illis profundè inclinamus. Similiter dùm transimus antè imagines Domini nostri, Beatæ Mariæ, ac sanctissimi Patris nostri Hieronymi.

49. Caput autem tantùm inclinamus, cùm nominamus, vel audimus nomina Iesus, Beatæ Mariæ, ac Patris nostri Sanctissimi Hieronymi, ac antè imagines Sanctorum transimus, vel ante alios Superiores nostros, vel Patres grauiores. Ac ab adolescentibus, & laycis Fratribus idem erit præstandum; dùm transeunt antè quoslibet Sacerdotes. Et ab Hebdomadario quoq; caput versus Altare inclinatur post intonationem psalmorum pronunciationem Capitulorum, vel cuiusuis alterius partis officij ab eo solo dicendæ, vel intonandæ.

50. Genua verò flectimus, quotiescunque transimus antè Altare, vbi asseruatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Et apud sedes nostras, donec fiat à Superiore signum inchoandi Officium. Et dùm dicuntur preces feriales tēpore Quadragesimæ, & Aduentus, ac in vigilijs, & ferijs quatuor temporum, vt in Rubricis Breuiarij. Et ad antiphonam B. Mariæ, quæ dicitur post Officium, scilicet post Dominus det nobis suam pacem &c. excepto tempore Paschali, ac diebus Dominicis, vt in eisdem Rubricis. Et in Missis feriarum Aduentus, Quadragesimæ quatuor Temporum, & vigiliarum, quibus ieiunatur, ac etiām in Missis defunctorum ad Orationes, quę dicuntur tàm antè Epistolam, quàm expleta communione, ac ad orationem, quæ dicitur suprà populum tempore Quadragesimæ, vt in Rubricis Missalis. Et dùm dicitur, Flectamus genua, antè orationes feriales. Et ad totum versum, Adiuua nos Deus salutaris noster, &c. qui dicitur in Tractu dieb. Quadragesimæ. Et ad totū versum Veni sancte Spiritus, &c. qui dicitur post Alleluia in Missa de sancto Spiritu; Et ad Credo, dum dicuntur illa verba, Et incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est. Et in præfatione ad verba, Gratias agamus Domino Deo nostro. Et in Euangelio Ioannis, quod dicitur in fine Missæ, ad

illa

illa verba, Et verbum caro factum est &c. Et in omnibus alijs locis, in quibus hoc animaduertitur à Rubricis Missalis Romani. Et in Missa conuentuali decantato Offertorio vsque ad Præfationem, & post Sanctus vsque ad Agnus Dei, & dictis Agnus Dei vsq; ad Postcommunionem, sumpto sanctissimo Sanguine à Sacerdote, & ad benedictionem, quę datur in fine Missæ. In Missis verò paruis, siuè non decantatis circunstantes semper genua flectant, præterquam quandò leguntur vtraque Euangelia. Genua quoq; flectimus, quotiescunq; accepimus benedictionem à Priore, vel alijs Superioribus è Monasterio egressuri, vel post regressum, & post Aue Maria, aut cum dormitum imus, aut aliàs quandòcunq;. Item cum coram eis culpas dicimus, vel ab eis quomodolibet repræhendimur.

51. Numquàm autem Monachos sedere in Choro permittant Superiores, nisi Sacerdotes, & prouectiores tantùm, si ità Priori videatur; & hoc dùm dicunt apud sedes Psalmos, quamuis ad Gloria Patri &c. semper debeant surgere, ac se inclinare, vt suprà. Ad Psalmos autē in officio B. MARIAE semper debent stare, & ad Quicunq;, quod dicitur ad Primam, & ad Cantica Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis, ac extrà proprias sedes, capitibus detectis. Possunt quoq; permittere, vt sedeant etiam ad lectiones, quæ dicuntur ad Matutinum in officio maiori, præterquam dum legitur Euangelium. Et in Missa, dùm cantatur Epistola, & profetiæ. Item dùm cantatur à Cantoribus versus post Alleluia, & post Graduale. In omnibus verò alijs semper sint stantes, vel genibus flexis vt suprà.

52. Sint tandem Monachi detectis capitibus, ac saltem medio capite, in ingressu Ecclesiæ ac exitu, dùm genua flectunt versus Altare, ac Superiori se inclinant; Et dùm dicuntur primæ orationes, vsq; ad per Dominum &c. tàm in officio, & horis Canonis, quàm in Missa, etiam ad orationem suprà populum, & dùm dicuntur capitula, & cantica Benedictus, Magnificat, & Nunc dimittis. Et ad Euangelia. Et dùm dicitur Confiteor, ac datur absolutio ad Primam, & Completorium, & aliàs quomodolibet. Et quandò datur benedictio in fine Missæ, vel Completorij, & Primæ, aut alias quomodocunq;. Et in eleuatione Sanctissimi Corporis, & Sanguinis Domini nostri, ac ad eius sumptionem, necnon dùm faciunt Communionem Sacram in Missa Clerici, & Fratres. Et cùm fit benedictio mensæ, dùm de mane dicitur. Agimus tibi gratias &c. & in sero Benedictus &c. & in gratiarum actione, dùm dicitur oratio, Retribuere &c. & quotiescunq; genua flectunt, præterquam dùm dicuntur preces; & dùm prolixè orant post Matutinos, & Completorium, & dùm Superiores nostros, aut alios Prælatos digniores alloquimur.

53. His addimus, debere Monachos in Choro antè facistorium esse, dùm dicuntur Hymni, Psalmi, & Antiphonæ ad Matutinum, & Laudes, saltem in officio maiori. Ad reliquas verò horas poterunt apud sedes suas manere,

K præter-

præterquàm dùm dicuntur Pſalmi, & Hymni feriales ad Veſperas Verſicularius verò ſolus (cùm officium eſt de feria, aut de ſimplici) vel cum adiuncto ſibi ſubuerſiculario (ſi officium ſit duplex, ſemiduplex, vel de Dominica) manebit antè faciſtorium, dùm dicit inuitatorium cum Pſalmo, Venite, etiam in officio paruo Beatę Virginis, & dùm pronunciat lectiones, & Reſponſoria eiuſdem officij (lectiones enim, & Reſponſoria officij maioris ſunt antè Superiorem perlegenda.) Similiter dùm dicit Antiphonas, & Reſponſoria breuia ad horas, quamuis cum ſit officium de feria, vel ſimplici poſsit huiuſmodi in ſede ſua dicere, ſicut verſiculos, & Antiphonas in Officio B. Virginis. Et hæc dùm officium dicitur ſine cantu. Cum autem officium cantatur, manebunt omnes Monachi antè faciſtorium, dùm cantatur ad Matutinum inuitatorium cum Pſalmo Venite, Hymni, Antiphonæ, Pſalmi, & Canticum Benedictus; Ac dùm decantantur Antiphonæ, & Reſponſoria breuia ad horas; & dùm cantantur Antiphonæ, & Hymnus ad Veſperas, præterquàm in officio de Dominica, quià tunc Antiphonas ſolemus cantare in proprijs ſedibus. Et dùm cantatur Antiphona, Hymnus, & Reſponſoria breuia, necnon Antiphona ad Nunc dimittis ad Completorium, Verſicularius autem manet ibi cum adiuncto ſibi ſubuerſiculario, cum per eos decantandum eſt, Benedicamus Dominó, in officio ſemiduplici, vel de Dominica, nam in offieio de feria, ac trium lectionum debet illud ſolus decantare apud propriam ſedem. Similiter, cum pronunciat Antiphonas, aut aliam partem officij, vel Verſiculos, aut alia in Miſſa, dùm organa pulſantur. In Miſſa autem conuentuali manent omnes Monachi antè faciſtorium, dùm cantatur Introitus cum ſuo Verſiculo, & Gloria Patri, dùm cantantur Kyrialia, & Gloria in excelſis, Graduale cum ſuo verſu & Alleluia, vel Tractus, Credo, Offertorium, Sanctus, Agnus, & Poſtcommunio. In reliquis apud ſedes ſuas manebunt flexis genibus, vel erecti, è regione, vel conuerſis ad Altare vultibus, vt prædicitur.

CAPVT VI.

De efficiendis per Monachos, cum tardè ad Chorum, vel alios actus publicos accedunt, uel tempeſtiuè recedunt, aut in eis ex negligentia, uel aliter errant.

54. SI quis ad Chorum tardè acceſſerit, cępto ſcilicet officio, ac abſoluto Gloria Patri &c. quod dicitur poſt Deus in adiutorium &c. is ad accuſandam negligentiam ſuam inclinatus maneat apud faciſtorium verſus Altare, donec à Superiore ei fiat ſignum indè recedendi. Si autem aliquis cępto officio, neceſsitatis cauſa cogatur à Choro recedere non ſtatim reuerſurus, in medio Chori inclinatus verſus Superiorem, ac manu pe-

ctori apposita, indicens se veniam postulare, expectet ab eo signum licentiæ indè recedendi.

55. Qui tardè ad Refectorium accesserit, cœpta scilicet benedictione, aut ad Capitulum, genuflexus in medio Refectorij, vel Capituli antè Superiorem, ac manu pectus percutiens expectet, donec ab eo sibi fiat signum surgendi. Idem efficiat, si necessitate impulsus voluerit à Refectorio, vel Capitulo recedere.

56. Qui in Choro, dùm dicitur officium, leuiter errauerit, is statim capite detecto inclinatus versus Superiorem, pectus sibi percutiat. Si autem notabiliter errauerit, illicò genua flectat, ac ità maneat, donec fiat sibi à Superiore surgendi signum. Idem efficiat, si strepitum aliquem fecerit, aut in suo munere negligenter se gesserit. In Refectorio verò, qui aliquem excessum commiserit, vt vasa versando, vel frangendo &c. si fuerit sedens in mensa, statim detecto capite surgat, ac inclinatus versus Superiorem pectus percutiendo, expectet ab eo sedendi signum. Si verò non fuerit sedens, genua flectat antè Superiorem, ac expectet signum, vt suprà. Idem fiat vbicunq; quis aliquem errorem coram Priore commiserit.

57. Cùm Prior ad Chorum accesserit, aut ad alium locum, in quo Monachi, & Fratres existunt, vel ab eo recesserit, si fuit sedentes, statim assurgant, ac capita detegentes ei reuerenter se inclinent; vicem enim Dei super eorū capita gerens; & eorum spiritualis Pater existens, est ab omnibus vti Pater in honore habendus, ac diligendus. Si verò fuerit genibus flexis, non assurgant, sed tantùm capita detegant, ac ei humiliter se inclinent. Idem efficiant, si accesserit, aut recesserit aliquis alius ex Superioribus eminentioribus, & multò magis si Præpositus Generalis. Versus autem Vicarium, ac alios Patres graduatos, vel prouectiores, dùm accesserint, ac recesserint, tantùm capita inclinent. Adolescentiores autem, & layci Fratres omnibus etiam Sacerdotibus, capitibus detectis, vt suprà, se inclinent.

CAPVT VII.

De Cæremonijs tàm in Missis, quàm Vesperis per celebrantem, & Ministros efficiendis.

58. Cæremoniæ tùm in Missis priuatis, tùm in decantādis, ac solemnibus, per celebrātem, & Ministros fiendæ, ommisso ritu veteri alios in Ordinario nostro descripto, fiant omninò iuxtà ritum Missalis Romani demùm reformati, vel pro tempore auctoritate Summi Pontificis reformādi, ac Missæ ordinentur, & dirigantur prorsus iuxtà illum. Ac etiam Altarium paramenta, & Sacerdotalia fint iuxtà easdem Rubricas, & omninò Ecclesiæ nostræ teneantur, & regantur, quātùm fieri potest, iuxtà ritum Ro-

manum. Magistri igitur Nouitiorum, ac adolescentum debebunt in primis adolescentes in huiusmodi omnibus, scilicet in Rubricis, & Cęremonijs Missalis, & Breuiarij Romani, ac propriæ Religionis ritibus diligenter instruere, & Vicarius asiduè inuigilare, vt à cunctis opportunè, & appositè fiant, & abusus circà eà auferantur, ac noui non inducantur.

59. Volumus tamen seruari nostrum antiquum morem incësandi ad Missam conuentualem in Ecclesijs Monasteriorum maiorum, etiam in quibuslibet duplicibus, nec variari nostrum modum cousuetum canendi in tono Euangelij, Epistolæ, ac mensæ, necnon Lamentationum, ac Passionum, & orationis Hieremiæ Prophetæ, & similium; Ac etiam retineri probatam varietatem intonandi multipliciter, Gloria in excelsis &c. canendi diuersimodè, Ite missa est, vel Benedicamus Domino ad Missam, & ad Vesperas, & Gloria, ac Credo in Choro, pro festorum occurrentium diuersitate, quia quælibet antiqua Religio, seù Congregatio huiusmodi suos particulares modos, ac ritus habet, & retinet: Ac tandem declaramus, seruandos esse nostros antiquos mores in omnibus, quæ ex Breuiario, Missaliuè Romanis nobis aliter non pręscribuntur.

60. Vndè cum non præscribant Cæremonias per Sacerdotem, ac Ministros in Vesperis solemnibus, ac Missis, in quibus sine Diaconi ministerio incensatur, & in quibusdam alijs actibus publicis efficiendas; nè diuersitas circà praxim cum confusione in nostra Cōgregatione deinceps oriatur, sed maneat semper apud omnes, etiam posteros, earummet Cæremoniarum, & rituum inuariata vnitas, eas describimus hoc loco hunc in modum.

61. Sacerdos Vesperas solemnes celebraturus, præmissis prius, ac diligenter pręinspectis quęcunq; pro tali munere sibi incumbunt, dùm ad hunc effectum pulsatur parum campanula post secundum signum, accedat vnà cum ministris ad Ecclesiam, ac postquàm ibi parumper orauerit, deuotè se ad id munus præparans, ingrediatur Sacrastiam, ac statim Acholyti cottis super scapulare, vel Cucullam, pro temporum congrueutia induti, accedant ad inseruiendum ei, & Cantoribus; ità vt Acholytus, qui erit Versicularius, inseruiat Sacerdoti celebranti, reliqui verò Cantoribus, ac in Missa etiam Diacono, & Subdiacono; Induet autem se Sacerdos celebrans suprà scapulare, seù Cucullam, vt suprà, amictu, alba, stola, & pluuiali. Cantores verò amictu, alba, & pluuiali sinè stola, etiā si sint Sacerdotes; Ac postquàm fuerint omnes induti, dabitur vltimum signum, & interim Ceriforarij, seù Sacrista accendent candelas in Altari, & Acholyti aptabunt prunas in thuribulis. Sic autem omnibus dispositis, ac astantibus reliquis Monachis, præsertim Superiore in Choro, egredientur de Sacrastia, pulsantibus interim organis, ac campanula hoc ordine. Præcedent duo Ceriforarij candelabra cum cereis accensis gestantes, subsequetur Acholytus, seù, si commodè prò Monachorum numero fieri poterit, duo Acholyti, thuribulum cū

prunis ardentibus manu dextra,ac nauiculam cum thure manu ſiniſtra deferentes. Gradientur deindè Cantores bini,& bini manibus iunctis ſuo ordine,ità tamen vt Cantor,& Subcantor Chori ſemper maneant vltimo, ac digniori loco,ac geſtent,ſi fieri poteſt,paramenta eiuſdem coloris cum paramentis Sacerdotis celebrantis,niſi tamen cõtingeret, Sacerdotes aliquos eſſe inter cantores deputatos; ſemper enim,& vbiq; clerici, ac non Sacerdotes locum digniorem Sacerdotibus defferant. Vltimo loco Sacerdos celebrans,manibus quoq; iunctis,ac capite tecto poſt omnes veniet. Cùm ad Altare hoc ordine peruenerint,ſtabunt omnes quaſi lineam rectam antè ipſum eformantes,ità vt celebrans in omnium medio ſit poſitus,ac Cantores hinc indè ab eius lateribus,digniores tamen ſemper propè eum, & vltimo loco Ceriforarij: Acholyti verò ſtent poſt celebrantem. Ac tunc ſtatim capita detegant,biretum de manu celebrantis Cantore à latere dextero ei viciniore promptè deducente, ac ſimul omnes Altari genua flectẽtes, ſuper vltimũ gradũ genuflexi parũper orent. Poſtea ſe erigant,ac iterum verſus Altare genuflectentes,ſtatim Sacerdos vnà cũ duobus ex dignioribus Cantoribus ſupremũ Altaris gradũ petit,ac Altare in medio deoſculãs,vertit ſe à cornu Epiſtolæ verſus Cantores,& vno eorũ ab illius dextero latere exiſtente nauiculã cũ thure, ac Acholyto thuribulũ cũ prunis apertũ miniſtrãte,thus in thuribulũ imponit de more,ac bñdicit, dicẽte ſcilicet Acholyto, Bñdicite Pater,& ipſo pronũciãte,ab illo benedicaris,in cuius honore cremaberis,In nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti.Am.(Qui modus ſeruetur quotieſcunq; thus eſt benedicẽdũ in Veſperis,& in Miſsis, præterquã ad Offertorium,vt in Rubricis Miſſalis) Facta thuris benedictione, Acholytus porrigit thuribulum iàm ab eo occluſum Cantori,qui nauiculam miniſtrauerat,& ipſe celebranti,eius manum deoſculando, & facta debita reuerentia per celebrantem,& omnes Miniſtros in medio Altaris Sanctiſsimo Sacramento,thurificat Altare eodem ritu,vt in Miſſa. Dùm autem fit Altaris thurificatio, Cantores fimbrias pluuialis celebrãti ſuſtinent,nè in thuribuli ductu ſint ei impedimento, & Cereforarij cereos ſuſtinent eleuatos, omnes ſimul genua flectentes, vel ſe inclinantes,quotieſcunq; celebrans id efficit. Perfecta Altaris thurificatione,celebrans reddit Cantori,à quò acceperat,thuribulum,ac ipſe Acholyto. Mox ad infimum Altaris reuertentes,iterum omnes inſimul genuflectunt. Et celebrans alta voce pronunciat Pater noſter &c.reliquum ſub Miſſa voce proſequẽs, omnibus interim manentibus inclinatis. Quo expleto,ac Aue Maria,ſtatim iterum erectus, & cum eo omnes,incipit intonando. Deus in adiutorium meũ intende &c. ac dicto, Gloria Patri vſque ad Sicut erat, iterum Altari genuflectentes, vel profunde inclinantes,ſi ibi non aſſeruetur Sanctiſsimum Euchariſtię Sacramentum,pergunt ad Chorum eodem ordine,quo ad Altare venerant. In medio Chori profundè verſus Superiorem ſe inclinant,ac ſiſtentes ſe an-

tè

tè faciſtorium, celebrans ſcilicet cùm Cantoribus poſt reliquos Monachos in loco digniori, ac Acholyti, & Ceriforarij antè omnes, propè faciſtorium, tunc ex Cantoribus dignior annunciat celebranti Antiphonam intonandã, ei reuerenter ſe inclinando. Qua per eum intonata, ac completa per Chorum, intonatur Pſalmus per omnes Cantores ſimul, ac mox ſe inclinantes, ad ſuas ſedes ſe recipiunt, celebrans videlicet ad ſedem ſibi opportunè præparatam, cum tapete, vel panno viridi antè eum ſtrato, in loco eminentiori ſuper omnes præter Priorem, & Cantores cum Acholytis, & Ceriforarijs ab hinc indè in ſedibus Chori, ſuper omnes, præter graduatos. Tunc Verſicularius, depoſito thuribulo in Sacraſtia, accedat ad celebrantem, & ab eius humeris deducens pluuiale, in medio Ceriforariorum pergens, ipſum deferat ad locum ad id præparatum in Sacraſtia, vel Choro, ſeù Sanctuario, & deindè Acholyti, & Ceriforarij Cantoribus quoq; deducant pluuialia, ac illa ad locum, quo ſuprà, deſſerant. Dùm cantantur Pſalmi, celebrans manet capite cooperto, ac ſedet, ſi velit. Cantores manent honeſtè in ſuis ſedibus ſuo modo; Sic Acholyti, & Ceriforarij. Finito primo Pſalmo, dùm organa pulſantur, duo ex Cantoribus, minores ſcilicet, accedunt antè faciſtorium profundè inclinantes, ac voce clara, & intelligibili diſtinctè pronunciant Antiphonam, quam organa pulſant, & deindè vnus eorum annunciat ſecundam Antiphonam intonandam Cantori digniori exiſtenti ab eo Choro, vbi non eſt tunc Hebdomadaria, & ſic ſucceſsiuè efficiunt, Antiphonas alternatim annunciando, intonando, & poſt Pſalmos repetendo. Dùm dicitur, Gloria Patri &c. omnes ſimul aſſurgunt, capita detegunt, ac profundè ſe inclinant. Dùm decantantur Antiphonæ, & intonantur Pſalmi, omnes manent erecti, ac capitibus detectis, celebrans ſcilicet apud ſuam ſedem, ac Cantores, Acholyti, & Ceriforarij in medio Chori, antè faciſtorium ad loca, vt ſuprà. Propè finem vltimi Pſalmi, Acholyti cum Ceriforarijs reaſſumunt Cantorum pluuialia, ac eorum humeris iterum imponunt. Verſicularius deindè à Ceriforarijs hinc indè commitatus, à Choro recedit. Hi Candelabra cum candelis accenſis de Altari, ſeù de loco propè Altare ad id aptato deſumunt, ille Sacerdotis pluuiale recepit, ac factis debitis reuerentijs, inter Cerforarios gradiens, ipſum Sacerdoti imponit, ſtatimq; ad recipiendum thuribulum cum prunis accenſis, pro thurificatione ad Magnificat facienda reuertitur, manentibus interim Ceriforarijs à lateribus ipſius celebrantis. Abſolutis omnibus Pſalmis, & pulſata per organo vltima Antiphona, celebrans erectus, capite detecto, ac iunctis manibus, in Manuali ſibi à Cantoribus aprimè ſubminiſtrato cantat Capitulum, ac deindè Cantores omnes ſimul intonant Hymnum. Dùm Hymnus alternatim à Choro canitur, & ab organis pulſatur, manent omnes erecti, ac capitibus detectis, celebrans apud ſedem ſuam, & Cantores antè faciſtorium poſt reliquos Monachos, & Acholyti, & Ceriforarij, vt ſuprà. Abſoluto Hymno,

duo

duo Cantores ex minoribus decantant versum, quibus Chorus respondet, & statim Cantor Chori, Sacerdoti annunciat Antiphona ad Magnificat, qua per ipsum intonata, prosequente, ac complente eam Choro, Cantores insimul omnes intonant grauiter canticum Magnificat, ac mox omnes à Choro ordine, quo venerant, recedunt. Cùm ad Altare peruenerint, facta debita reuerentia, seù genuflexione, ascendit celebrans cum duobus Cantoribus dignioribus ad supremũ Altaris, gradũ, & ipsum in medio deosculatur, & se vertens incensum in thuribulo imponit, benedicit, ac Altare, vt suprà, thurificat. Si verò Vesperæ decantentur ad aliquam Capellam, vel Altare, in quò non asseruetur Sanctissimum Eucharistię Sacramẽtum, prius nihilominus Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum reconditur, thurificatur, deindè eodem ritu (prætérquàm quod in eius medio non fiunt genuflexiones, sed tantùm profundæ inclinationes) Capella, seù Altare illud, cuius causa celebratur festiuitas. Perfecta Altaris thurificatione, facta in illius infimo gradu debita reuerentia, vel genuflexione, tendunt omnes ad sedes sibi in sanctuario aptatas, quas Presbyteria vocamus, ac ibi manentibus omnibus erectis, capitibus detectis, manibusq; iunctis, secundum ordinem superius assignatum, scilicet Sacerdote in medio omnium, Cantoribus ab eius lateribus hincindè, ac vltimo loco Ceriforarijs, duo Cantores primi assumunt de manibus Acholytorum thuribula, ac Sacerdotem tripli ci thuribuli ductu thurificant, alternatim thuribula ducentes, facta ei profunda inclinatione antè, & post thurificationem. Thurificant deindè reliquos Cantores, singulos duplici ductu, & tandem Ceriforarios vnico ductu, singulis capita inclinando antè, & post thurificationem, magis, vel minus profundè pro eorum qualitate, qui vicissim debent quoq; thurificanti capita inclinare, secundum quod personarũ ratio postulat. Thurificatis ministris paratis, accedant duo prædicti Cantores cum Acholytis ad thurificandos reliquos de Choro; ac factis concinè debitis genuflexionibus Altari, & reuerentijs versus Superiorem, accipiant de manibus Acholytorum thuribula, ac Priori iterum profundè inclinantes, ipsum ter thurificent alternatiuo thuribuli ductu. Deindè Vicarium duplici, ac successiuè reliquos graduatos vnicò tantùm, ità vt Cantor quilibet thurificet solùm eos, qui sunt à latere sui Chori, singulis graduatis caput vt suprà inclinantes, sed Priori, ac dignioribus profundius, ac Præposito Generali, si adsit, profundissimè. Immò si Præpositus adsit cum reliquis Prioribus, ipse tantùm thurificetur ter, reliqui autem Priores bis singuli, alij verò graduati, etiam Vicarius semel tantùm, & reliquos de Choro thurificent simul, ducendo thuribula successiuè à principio ad finem vsq; Chori. Si paruus erit Monachorum numerus, ob quem vnicus tantùm Acholytus efficietur, vnicus etiam Cantor omnes has thurificationes efficiet, primò a parte Chori dignioris, deindè ab alia. Dùm Cantores thurificant, Acholyti sustinent eis fimbriã

pluuialis,

pluuialis, nè in thurificando impediantur. Perfecta Chori thurificatione, Cantores in fine Chori manentes, reddũt Acholytis thuribula, ac factis debitis reuerentijs, & genuflexionibus versus Superiorem, & Altare, reliquis ministris in suis locis apud Presbyteria associantur, tùnc & ipsi ab Acholytis thurificantur, duplici scilicet thuribuli ductu quilibet eorum, vt de reliquis Cantoribus dictum est. Deindè ijdem Acholyti incensant populum, genuflectendo priùs Altari, & deindè populo in medio sanctuarij se vertẽdo, ac eum triplici thuribuli ductu thurificando, in medio scilicet, & ab vtroq; latere, factis quoq; ei debitis reuerentijs, antè, & post thurificationẽ; Ac deinceps Acholyti thuribula in Sacrastia reponunt. Dùm canitur Magnificat, & fiunt prædictæ thurificationes, Sacerdos apud presbyteria cum reliquis ministris manens, vt prædicitur, omnibus erectis, capitibus detectis, ac manibus iũctis, præter Ceriforarios, qui sustinent candelabra, dicit totum Magnificat alternatim cum ministris, quò expedito dicunt quoquè Antiphonam ad Magnificat, ministrante eis manuali aliquo ex Clericis paratis. Finito Magnificat, dùm organa pulsant Antiphonam, omnes sedent, & in fine pulsationis tendunt ad medium sanctuarij versus Altare, ac ibi Sacerdos manens iunctis manibus, canit Dominus vobiscum, ac orationem competentem, vel plures, si fieri debeant Commemorationes, cum suis conclusionibus, caput versus Altare inclinando ad Oremus, & conclusionem, vt in Rubricis Missalis. Dùm fiunt Commemorationes, Antiphonę, quæ pro Commemorationibus in Choro cantantur, legũtur à Sacerdote, & ministris submissa voce, & in fine cuiuslibet Antiphonæ, duo Cantores minores accedunt ad Altare, ac ibi pronunciant versus. Absolutis orationibus, omnes Cantores ad medium Altaris accedentes, ibi canunt, Benedicamus Domino, & deindè reuertũtur ad Sacerdotem, & responso per Chorum, seù per organa, Deo gratias, Sacerdos voce aliquantulum dimissa dicit, fideliũ animæ &c. & responso per Chorum, Amen, ac dicto secretè, Pater noster &c. accedunt omnes ad Altare, ac ibi in infimo gradu manentes, Sacerdos dicit, Dominus det nobis suam pacem, & dicunt Antiphonam B. MARIAE pro temporũ qualitate genuflexi, vel erecti, vt in Rubricis Breuiarij. Dùm Sacerdos dicit orationem post dictam Antiphonam, surgit. Finitis omnibus, manent parumper genibus flexis, dùm dicunt Pater noster cum Aue Maria, & deindè facto signo à Superiori in Choro surgit Sacerdos, ac cum eo omnes, & factis debitis reuerentijs, seù genuflexionibus, reuertuntur ad Sacrastiam eo ordine, quò venerunt, reuerenter etiam Superiori in transeundo se inclinantes; Ac in Sacrastia Ministri genibus flexis accipiunt benedictionem à Sacerdote, quod fit etiam post Missam, & tandem omnes deponunt paramenta, ministrantibus, vt suprà, Clericis.

62. Vbi magnus, ac sufficiens est Monachorum numerus, festiuitatibus solemnissimis, scilicet Natiuitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis,

ris Christi, Assumptionis B. MARIAE, Omnium Sanctorum, Sanctissimi Patris Hieronymi, ac Patroni, seu titularis propriæ Ecclesiæ, Sacerdoti inseruiant sex Cantores, duo Acholyti, ac duo Ceriforarij in vtrisq; Vesperis. In alijs verò solemnioribus, scilicet omnibus habentibus octauam, ac duobus consequentibus ad diem Paschatis, & Pentecostes, & Titulari alicuius Capellæ, vel Altaris, vel alterius Sācti, cuius corpus, vel insignis reliquia in illa Ecclesia asseruetur, ac eius festiuitas solemniter celebrari soleat, quatuor Cantores inseruiant cum duobus Acholytis, ac duobus Ceriforarijs in vtrisq; similiter Vesperis. In alijs verò solemnibus tantùm, vt Annunciationis, ac Purificationis B. Virginis. Natalitijs Apostolorum, Solemnitatibus Euangelistarum, ac Angelorum, translatione Sancti Patris Hieronymi, Solemnitate Sancti Augustini, Dominicis Quadragesimæ, Aduentus, Dominica in Albis, & Sanctissimæ Trinitatis, & quotiescunq; manet in Altari Sanctissimum Eucharistię Sacramentum populo expositum, inseruiant duo Cantores cum vnicò Acholyto, & duobus Ceriforarijs in secundis tantùm Vesperis. Vbi verò non adeò magnus, ac sufficiens est Monachorum numerus, in solemnissimis quatuor Cantores cum vno Acholyto, & duobus Ceriforarijs, in solēnioribus verò duo, in solemnibus tandem Acholytus solus Sacerdoti inseruiat. Ad Missam vbi magnus est Monachorum numerus in solemnissimis inseruiant Sacerdoti Diaconus, Subdiaconus, sex Cantores, duo Acholyti, & duo Ceriforarij. In solēnioribus Diaconus, Subdiaconus cū quatuor Cātoribus vt supra. Ac in solēnibus sufficiāt Diaconus, & Subdiaconus cū Acholyto, & Ceriforarijs. Vbi verò non est sufficiens Monachorum numerus, inseruiat Diaconus, Subdiaconus, cum Cantoribus, vt in Vesperis, ac etiam in die Cęnæ Dñi, feria sexta, & Sabbato hebdomadæ maioris, & quando cani debet Passio Domini Nostri, in Missa inseruiat Sacerdoti Diaconus, & Subdiaconus cum Acholyto, & Ceriforarijs. Et hæc intelligimus de Monasterijs maioribus, in quibus strictior vigere solet obseruantia; In alijs verò attendatur locorum consuetudo, Monachorum numerus, ac solemnitatum ratio, & his omnibus, ac alijs similibus attentis, Priores se difficiles exhibeant admodum in relaxando, ac præsertim nullibi patiantur, vt solemnitas præcipua propriæ Ecclesię fiat sine Diacono, Subdiacono, ac Acholyto cum Sacerdote paratis in Missa, & saltem cum duobus Cantoribus in Vesperis.

63. Cæremonię in Missis solemniter, vt suprà, decantandis, quia præscribuntur in ritu celebrandi Missali Romano præposito, fiant vt ibi, hoc tantū addito, quod celebrans vnà cum Ministris paratis saltem in solemnissimis debet interesse quoq; horis tertiarum, quæ decantantur his diebus in Choro antè Missam solemnem. Paratus igitur Sacerdos celebraturus pluuiali, ac stola, vnà cum Ministris procedet de Sacrastia ordine, quo dictum est in Vesperis, addito solum, quòd Diaconus, & Subdiaconus induti solitis paramentis procedant post omnes Cantores propè celebrantem, Diaconus

ab eius dextris,& Subdiaconus à finiſtris,& Acholyti ſinè thuribulis,& Ceriforarij ſinè candelabris,ſed omnes manibus iunctis tẽdant ad propria loca in Choro,facta prius Altari genuflexione,& Superiori profunda inclinatione,ac Sacerdoti quoq; , dùm ante eos tranſit, profunda capitis inclinatione. Ibi genibus flexis aliquantulum orant ſecretè, ac ad ſignum Superioris ſe erigentes,dictoq; ſecreto Pater noſter cum Aue Maria, Sacerdos incipit eleuata voce decantando, Deus in adiutorium &c. Cantores antè faciſtorium intonant Hymnum, Nunc ſanctẽ nobis &c. & intonata antiphona per Verſicularium ei prius annunciata per Cantorem Chori, intonant quoq; Pſalmum, Legem pone mihi Domine &c. ac deindè manent in ſuis ſedibus,depoſitis pluuialibus, vt in Veſperis. Capitulum decantatur per Sacerdotem apud ſedem ſuam,vt ad Veſperas,ac Oratio. Reſponſoria verò breuia per Cantores antè faciſtorium. Ac expeditis omnibus reuertuntur ad Sacraſtiam. Si ſit dies Dominicus,ac facienda ſit aquę benedictæ aſperſio antè Miſſam, fiat per Sacerdotem Miſſam celebraturum, pluuiali,ac ſtola,vt ſuprà,indutum,ſecundum ritum, vt in Miſſali. Si verò celebraturus ſit Prior, vel Prępoſitus generalis,fiat per Diaconum cum pluuiali,vt ſuprà,ſi ſit Sacerdos,ſin minimè, per alium Sacerdotem,vt ſuprà, indutum. Poſteà Sacerdos in Sacraſtia, depoſito pluuiali, reaſumat paramenta pro Miſſa,& Acholyti thuribula,& Ceriforarij cereos, & procedant ad Miſſam celebrandam ſecundum ritum,vt in Miſſali. Dùm Miſſa decãtatur, Cantores manent apud Altare cum alij Miniſtris,perfecta vſq; thurificatione poſt introitum facienda. Deindè reuertuntur ad Chorum, ac ibi manent intonantes de more,& cum alijs cantantes. Ad Sanctus accedunt iterum ad Altare acceptis intertortitijs accenſis,eis à Sacriſta, vel ab alio ſubminiſtratis,quæ non deponunt,niſi poſt ſumptionẽ Sanguinis. Aſſiſtútq; ibi deinceps poſt reliquos Miniſtros in plano antè Altare per rectã lineam extenſi,& genibus flexis vſq; ad Poſtcommunionem. Cùm Sacerdos dicturus eſt,Dominus vobiſcum,ſurgunt cum reliquis Miniſtris,& manent erecti,inclinati,vel genuflexi,prout efficiunt alij Miniſtri vſq; ad cõplementum Miſſæ. Ac ea abſoluta, reuertuntur omnes ad Sacraſtiam ordine,quò ſuprà,ac ibi accepta benedictione vt ſuprà,deponunt paramenta.

64. Cùm autem officium ſit tantùm duplex, incenſetur etiam ad Miſſam per Acholytum hoc modo. Ad Euangelium exhibeat Sacerdoti ad cornu Euangelij thuribulum apertum,ac nauiculam cum thure, & cocleari apertam,ab eoq; inclinatus benedictionem petat; benedictoq; thure,ac in thuribulũ immiſſo,& dicto Dominus vobiſcum,Sacerdos incenſat ter Euangeliorum librum. Deindè reddito thuribulo Acholyto, dùm Sacerdos decantat Euangelium,Acholytus ſe ſiſtens à latere Sacerdotis, thuribuli ductibus accommodè interpolatis incenſat inter Euangeliorum librum, ac Sacerdotem. Finito Euangelio, ſi dicendum ſit Credo, deponat Acholytus

thuribulum;

thuribulum; sin minus post Offertorium illud exhibeat Sacerdoti,& omninò inseruiat in thurificando, vt fit per Diaconum in Missa solemni, incensando etiam Sacerdotem & Chorum. Ad eleuationē quoq; Sanctissimi Corporis,& Sāguinis thurificet eodem pacto, sicut fit in Missa solemni, ac mox deponat thuribulum in Sacrastia, ibiq; dimittat.

65. Cùm quandòq;, vt dictum est, ob defficientem Monachorum numerum, possint decantari Missa,& Vesperæ per solum Sacerdotem cùm Versiculario paratum, tunc Versicularius, cùm egredietur è Sacrastia cum Sacerdote pro Missæ celebratione, defferat thuribulum cum nauicula, vt ad thurificationem Altaris antè introitum facienda possit inseruire, ac inseruiat eodem pacto, sicut in Missa solemni per Diaconum. Cùm verò Vesperæ decantantur per Sacerdotem cum solo Acholyto paratum, egrediatur quoq; Acholytus è Sacrastia cum thuribulo,& nauicula, & eodem pacto inseruiat, sicut fit per digniorem Cantorem.

66. Paramenta Sacerdotis in Vesperis, ac Missis sint illius coloris, qui describitur ex Rubricis Missalis pro festorum occurrentium diuersitate. Eiusdem coloris etiam, si fieri potest, sint pluuialia saltem duorum Cantorum digniorum. Reliqui verò Cantores possint habere pluuialia diuersi coloris, ità tamen vt semper bini procedant cum pluuialibus eiusdem coloris. Paramenta Diaconi, scilicet Dalmatica cum stola & manipulo, & Subdiaconi, scilicet tunicella cum manipulo, sint omninò eiusdem coloris cum paramentis Sacerdotalibus.

67. Nullus deinceps in Missis solemnibus Altari inseruiat pro Diacono, vel Subdiacono, qui re ipsa non sit in ijsdem ordinibus constitutus, & si fieri potest, nullus quoq; ex Clericis in Missis solemnibus pro Versiculario, vel Acholyto, qui reuera in Ecclesia Dei inter Acholytos nō sit adscriptus.

68. Cæremoniæ per Acholytos in Missa conuentuali, cū canitur sine Diaconi,& Subdiaconi ministerio, fiunt hoc modo. Si sint duo Acholyti inseruientes, dùm vnà cum Sacerdote è Sacrastia vtriq; egredientur, ipsum præcedētes, vnus eorum, Subuersicularius scilicet defferet candelas. Versicularius verò Missale. Cùm ad Altare peruenerint, facta Altari vnà cum Sacerdote, in medio eorū posito, genuflexione, ac accepto de manu eius per Versicularium, à dextro latere existentem, reuerenter bireto, accedit Subuersicularius ad accendendas candelas in Altari,& Versicularius ad exponendū, & accommodandum Missale super puluinari, seu super cancello. Deindè genuflexi in infimo Altaris gradu, à lateribus Sacerdotis, Versicularius scilicet à dextro, & Subuersicularius a sinistro, Versicularius cum Sacerdote facit confessionem, ac ad versus,& alia ab eo prolata de more respondet, sicut in tota Missa. Dùm per Versicularium fit confessio, ac super populum à Sacerdote absolutio, manent Versicularius, & Subuersicularius inclinati profundè, Sicut ad Gloria Patri &c. in Psalmo Iudica &c. & à versu, Deus

tu conuerſus viuificabis nos &c. & infrà. Cùm in confeſsione per Verſicularium dicitur (& tibi Pater, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa) vergunt ſe vtriq; verſus Sacerdotem, & ter pectus percutiunt, ſic in fine, dùm dicitur (& te Pater orare pro me ad Dominum Deum noſtrum) ſe Sacerdoti vergunt. Expedita confeſsione, & oratione, quę ſecretè dicitur per Sacerdotem, ſuſtinēt Sacerdoti a parte anteriori extremitates Albæ, nè ei ſint impedimento, dū aſcendit ad ſupremum Altaris gradum. Dùm Sacerdos dicit Introitum, Verſicularius ſtat apud eum à cornu epiſtolę, ac ei reſpondet ad Kyrieeleyſon, ſubuerſiculario quoq; interim ſtante ab alio latere. Deſcendunt deindè ad planum Altaris à tergo Sacerdotis, vnuſquiſq; à proprio latere, ac intonato per Sacerdotem, Gloria in excelſis &c. faciunt Altari profundam inclinationem, ſic & dùm per Chorum canuntur verſus, ad quos omnes ſe inclinare debent. Dùm Sacerdos vergendo ſe ad populum dicit, Dominus vobiſcum, profundè quoq; ſe inclinant. Similiter dùm dicit primam orationē, vſq; ad eius concluſionem, manent inclinati. Abſoluta oratione, ſeù orationibus, Verſicularius Miſſale, ſeù Lectionale, in quo lecturus eſt epiſtolā, vtriſq; manibus geſtans antè pectus, facit genuflexionem Altari, ac deindè manens in plano Altaris, à cornu epiſtolę, decantat in tono ſolito moroſè, dearticulatè, & intelligibiliter epiſtolam, & interim ſubuerſicularius accedit ad Sacerdotem, vt ipſi reſpondeat, Deo gratias, poſt epiſtolam, ac deferat librum ad cornu Euangelij. Abſoluta epiſtola, Verſicularius iterum Altari genuflectit, ac librum deponit. Dùm Sacerdos canit Euangelium, manēt vtriq; in plano à proprijs lateribus poſt Sacerdotem, verſis vultibus ad librum Euangelij, ac ſe ſignant de more in principio Euangelij, & Verſicularius in fine reſpondet, Laus tibi Chriſte. Dùm Sacerdos intonat Credo, manent quoq; in plano Altaris, conuerſis vultibus ad Altare, ac ipſo intonato profundam faciunt verſus Altare inclinationem. Sic ſe inclinant, vel genuflectunt, dùm dicuntur, aut canuntur verſus, aut verba, ad quę communiter eſt inclinandum, vel genuflectendum. Si Sacerdos, dùm in Choro canitur Credo, accedit ad presbyteria, vt ibi ſedeat, ipſi eum reuerenter concomittantur, inſeruiuntq;, porrigendo biretum, quo ſe cooperit, ac aptando caſulam, & reliquas veſtes, deindè ei reuerenter ſe inclinantes, accedunt ad aliud presbyterium, ac ibi manent è regione Sacerdotis, cui quoq; promptè inſeruiunt, cum reuertitur ad Altare. Dùm Sacerdos dicit, Dominus vobiſcum antè Offertorium, manet in plano Altaris à proprijs lateribus inclinati. Dicto per Sacerdotem Offertorio, accedunt ad cornu epiſtolæ ad ei inſeruiendum, Verſicularius enim miniſtrat vrceolos reuerēter, ac poſt oblationem Sacerdotis manibus ſuperinfundit acquam, ſubuerſicularius verò ſubminiſtrat mappam, ſeu ſudariolum ad abſtergendum, ac poſtquam vrceolos, ſudariolumq; benè plicatum repoſuerint, accedunt ad

infimum Altaris gradum,ibiq; à proprijs lateribus genuflexi manent vſq; ad Per omnia &c. antè Præfationem,pronunciatoq; Orate fratres per Sacerdotem, Verſicularius dicit, Suſcipiat &c. vt in Miſſali. Ad per omnia, ſurgunt,ac manent in ijſdem locis ſtantes vſq; ad finem Præfationis, genua tamen flectentes,cum Sacerdos dicit. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Finita Præfatione, genua iterum flectunt, ac facto per Sacerdotem Memento,accendunt luminaria,ſeu cereos, & aſcendunt ad ſupremum Altaris gradum apud Sacerdotem,vt dùm eleuat Sanctiſsimam Hoſtiam, ac Sanguinem,poſsint de more eleuare ei parum extremitatem caſulæ, ac pulſare cymbalum,quod etiam pulſare debebunt ad Sãctus. Facta eleuatione iterum genuflectunt in infimo Altaris gradu. Ad Per omnia, antè Pater noſter,ſurgunt. Finito Pater noſter iterùm genuflectunt. Ad Per omnia, antè Agnus Dei,ſurgit Verſicularius,& pacem de Altari recipiēs, genuflexus à latere dextero Sacerdotis eam illi offert deoſculandam,dicente Sacerdote,Pax tecum,& ipſo reſpondente, & cum ſpiritu tuo. Deindè eam defert reliquis de Choro,dicente Verſiculario Pax tecum, & ſingulo reſpondente,& cum ſpiritu tuo,incipiendo à maioribus,ſcilicet Priore,& reliquis de eius Choro,factis debitis inclinationibus ſingulis Sacerdotibus, ac genuflexionibus Altari in eundo,& redeundo, & idem deindè efficiendo ab alio Choro,& tandem cùm ad Altare fuerit reuerſus,eam offert quoq; ſubuerſiculario. Sumpto Sanguine per Sacerdotem, Verſicularius, vel in eius abſentia,ſubuerſicularius ſtatim præparatis vrceolis exhibet Sacerdoti vinum,ac acquam debita cum reuerentia pro purificatione, ac ablutione faciēda,& interim alius defert Miſſale ad cornu epiſtolę, ac Cerei per eos extinguuntur. Si aliqui ex Monachis in eadem Miſſa ſint per manus Sacerdotis communicandi,facta ſumptione Sanctiſsimi Sanguinis, antè purificationem,conuerſo ad cornu Euangelij ad populum Sacerdote,& omnibus communicandis ſuper faciebus proſtratis,per Verſicularium fit cōfeſsio,& poſt abſolutionem aſcendunt qui ſunt communicandi, bini, vel terni ad ſupremum Altaris gradum,vbi genuflexi de manu Sacerdotis,pixidem cum particulis conſecratis tenentis,reuerēter Sãctiſsimum Sacramentum recipiūt; ſingulo eorum deuotè pronunciante, Domine non ſum Dignus &c. ac Sacerdote,dùm Sacramentum ſingulo porrigit, dicente, Corpus Domini &c. Communicatis communicãdis,ac facta purificatione,& manuum ablutione,dùm Sacerdos dicit Dominus vobiſcum,manent in plano à ſuis lateribus inclinati. Sic dùm dicit primam orationem. Dùm verò dicit alias orationes, ac Ite miſſa eſt,vel Benedicamus Domino,manent erecti. Ad benedictionem verò manent genuflexi, ſic dùm Sacerdos dicit,& Verbum caro &c. in fine Euangelij ſancti Ioannis: Quòd Euangelium, dùm legitur, Verſicularius recipit de Altari Miſſale, ac ſubuerſicularius præparat candelas mox in fine Euangelij extinguendas. Finita Miſſa, omnes in plano

deuotè

deuotè Altari genufle&unt, Versiculario biretum Sacerdoti ministrante, ac ad Sacrastiam reuertuntur, præcedentibus Acholytis, & subsequente Sacerdote. Si ob Monachorum paucitatem solus Versicularius ministret, solus ipse in omnibus inseruiat, & se habeat, vt prędicitur.

69. Qui inseruiunt Missis priuatis, maneant semper genuflexi, præterquã ad vtraq; Euangelia, & quandò ministrant; Etsi adsit Prælatus præcipuus, vt Cardinalis, vel Episcopus, nunquàm ei terga vertant, ac quotiescumq; antè ipsum transeunt, ei reuerenter genuflectant, vel profundè se inclinent.

70. Missæ conuentuali dùm inseruit Versicularius, seù Versicularij, debent esse superinduti superpeliceo, seù, vt vulgo dicitur, cotta alba, super scapulare, seù, pro temporum congruentia, super Cucullam, aut cappam, si sint nouitij. Qui verò inseruiunt Missis priuatis, sint suis habitibus decentibus induti, tunica scilicet talari, ac scapulari, siuè, pro temporum diuersitate, etiam cuculla, vel cappa Nouitij, aut mantello Conuersi, & Commissi.

CAPVT VIII.

De nonnullis alijs Cæremonijs circà alias actiones publicas efficiendis.

71. IN absolutione super tumulum post Missas solemnes defunctorum facienda, seruetur is ritus in Missis cum Ministris paratis decantatis, qui præscribitur in ritu celebrandi Missali Romano Præposito. In Missis verò à solo Sacerdote cum Versiculario inseruiente decantatis, fiat à Sacerdote deposita casula, ac manipulo, & ministrato ei incenso, aspergessorio, & libro per Versicularium, decantantibus post Responsorium duobus solitis Cantoribus Chori versum in medio, antè tumulum, & Hebdomadario cum Vicario versum Requiem &c. In reliquis fiat, vt ibidem.

72. Dùm processiones solemnes habentur, si sint ex ordinarijs annotatis in Missali, vel Ceremoniali Romano, fiant omninò secundum ritum, qui ibi describitur. Si sint extraordinariæ, & ob Monachorum non sufficientem numerum fiant sinè Diacono, & Subdiacono paratis; Crux per aliquem ex Conuersis, Commissis, vel Clericis cotta superindutum deferatur, gradientem inter duos Ceriforarios, cereos ardentes cum candelabris sustinentes, & Versicularius quoq; cotta superindutus gradiatur propè Hebdomadarium indutum alba cum stola, & pluuiali, qui maneat in loco digniori post omnes Monachos. Et reuertendo ad Ecclesiam, genua deindè flectat in infimo Altaris gradu, ac versus, & orationes opportunas ad cornu epistolæ pronunciet, Vel genuflexus in medio Altaris, in processionibus Sanctissimi Corporis Christi.

73. Mandatum, seù pedum ablutio facienda die Cęnæ Domini, saltem in omnibus Monasterijs maioribus, sublato ritu veteri descripto in antiquo

Ordinario,

Ordinario, fiat omninò, vt præſcribitur ex Miſſali Romano, hoc tantùm addito, quòd ad ſignum cum tabula factum debent omnes Monachi in Eccleſia congregari, vt vnà cùm Superiore, & Miniſtris paratis proceſsionaliter procedant ad locum Refectorij, ſeù Capituli, vbi iuxtà Monaſteriorum conſuetudinem ſolet talis actio fieri, quemadmodum etiam expleto mandato, eodem pacto ad Eccleſiam proceſsionaliter debent reuerti.

74. Lauétur pedes Nouitijs, vel iunioribus, vel etiam omnibus, ſi placuerit Priori, incipiendo ſemper, ob maius humilitatis ſignum, à minoribus. Inſeruiant de peluis, & acqua calida ad abluendum, ac de mappis ad abſtergendum Conuerſi, & Commiſsi, & totus locus conſternatur floribus, vel herbis virentibus, & odoriferis. Ablutis pedibus, antequàm dicatur oratio, habeatur ſermo per aliquem idoneum, de humilitate, cunctis per ordinem ſedentibus, ſi ità Priori videatur, & eo abſoluto ſurgant omnes, ac Superior dicat ſecretò Pater noſter, & poſtea ſolitos verſus, & orationem, vt in Miſſali, ac deindè recedant.

75. Eadem die poſt Primam, congregato Capitulo ad ſonum campanulæ in loco ſolito, fiat in omnibus noſtris Monaſterijs, iuxtà laudabilem Cōgregationis conſuetudinem, petitio miſericordiæ, ac communis remiſsio ſecundum hanc formam. Cunctis ſedentibus, habeatur ſermo, vel breuis oratio per Priorem, vel per alium, cui ipſe iniunxerit, de caritate, ac fraterna concordia inter religioſas perſonas diligenter cōſeruanda, ac de iniurijs, ad exemplum Chriſti pro crucifigentibus præcipuè Patrem deprecātis, remittendis, & deducta ad propoſitum oratione, Prior ſe accuſet, ac veniam petat de commiſsis, & ommiſsis occaſione proprij officij, vel aliter quomodolibet, ac poſtulet, ſuper huiuſmodi ſibi miſericordiam, & remiſsionem fieri, & Deum pro ſe orari. Idem deindè efficiant ſinguli genuflexi ergà proprium Priorem, ac alios, incipiendo à Vicario, & dignioribus, & tādem facta communi remiſsione, & breui adhortatione per Priorem ad deinceps non reciduandum, ſed cautius agēdum, & in charitate fraterna perſiſtēdū, concedat omnibus confeſſarijs, (ſi hoc ei expedire videbitur) vel quibus magis placuerit, facultatem abſoluendi in foro conſcientiæ pro illa vice tātùm, ſibi ſubditos, ab omnibus peccatis, & cenſuris ſibi à iure, vel ab homine reſeruatis; Et ſic omnes diligenter ſe præparent ad dignius, quo fieri poteſt, Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum de manu Prioris in Miſſa cōuentuali recipiendum.

76. Reliquæ ceremoniæ circà denundationem Altarium, Crucis adorationem, Matutinos tenebrarum in hebdomada maiori, & quoſcunq; alios actus toto anni decurſu in Eccleſia, vel alibi publicè faciendos, fiant omninò, vt præſcribuntur ex Miſſali, Breuiario, vel Cæremoniali Romanis.

CAPVT

CAPVT IX.

De Officialibus per Vicarium singula hebdomada pro seruitio Chori, & aliorum instituendis, & de eorum muneribus.

77. Vicarij munus erit, officiales pro seruitio Chori, Capituli, Mensæ, & aliorum, scilicet Hebdomadarium, Cantorem, Versicularium, Lectorem, Mensæ inseruiturum, & alios constituere, ac iuxtà probatum ordinem singula hebdomada innouare. In tabella itaq; ad hunc vsum de more artefacta singulorum nomina, qui Choro in sua Ecclesia deseruiunt, distinguet, & ea iuxtà officia eis incumbentia singula hebdomada variabit, ac accõmodabit; Ità vt primò loco ab vno latere ponatur Hebdomadarius; secundò Diaconus; tertiò Cantor; quartò Versicularius; quintò Lecturus in mensa. Et deindè ab alio latere primò loco Subhebdomadarius; secundò Subdiaconus; tertiò Subcantor; quartò Subuersicularius; quintò qui inseruiturus est in mensa, & deinceps ordinatè alij, qui singulas lectiones in Matutino erunt perlecturi, alternatim tamen, & hoc attentò, quòd semper Versicularius dicat primam lectionem, Diaconus legat Euangelium, ac primam lectionem de Homilia, Subhebdomadarius secundam, & Hebdomadarius tertiam, nisi fiat Officium solemne, quia tunc Hebdomadarius debebit legere secundam, & Vicarius, vel Prior tertiam.

78. In Monasterijs verò minoribus, vbi non est sufficiens Monachorum numerus pro omnium horum numerum distinctione, describantur in tabella saltem Officiales necessarij pro earum Ecclesiarum, ac Monasteriorum seruitio; in quibus etiã poterit isdẽ tres lectiones in Matutino solus legere, vel etiam omnes ad dispositionem Superioris; ità tamẽ quod Euangelium, ac Homilia semper legatur ab aliquo saltèm in ordine Diaconi existente.

79. Et, vt cunctis propria officia innotescãt, debebit Vicarius iuxtà prædictum ordinem, die Sabbathi post refectionem in Refectorio, coram omnibus tabellam ità distinctam publicare, quæ etiam maneat per totam hebdomadam à latere Chori, à quo erit hebdomadaria, publicè appensa.

80. Publicabit etiam simul festa solemnia, si quę infrà hebdomadam occurrent, in quibus Missa, ac Vesperæ erunt solemniter cantandæ, Vel aliqua Processio solemnis habenda, ac si qui ministri, pręter descriptos in tabella, erunt ad id muneris necessarij, eos sigillatim quoque designabit, & exprimet. Item dies quibus Clerici, & Fratres layci debebunt sanctissimam Eucharistiam in Missa Conuentuali sumere. Item si quæ Officia solemnia pro mortuis infrà hebdomadam illam erunt facienda. Item si quæ Indulgentiæ à summis Pontificibus cunctis Christifidelibus, vel Congregationi nostræ, vel illi Ecclesiæ, & Monasterio particulari concessę; erunt consequendæ, & cœtera huiusmodi opportuna.

81. Heb-

81. Hebdomadarij officium (quod incipit à Vesperis Sabbati suam hebdomadam præcedentis inclusiuè, & terminatur ad Vesperas Sabbati sequentis exclusiuè) est Missam conuentualem singulis diebus prædictæ hebdomadę celebrare, seù decãtare, ac cuncta in Choro, dùm dicitur officium, & in Capitulo, Refectorio, & in cunctis actibus publicis, quæ Sacerdotis munus respiciunt, præstare, presertim incipere officium ad omnes horas; intonare Hymnos, & Psalmos vsq; ad dimidium primi Versiculi, quotiescunq; officium non decantatur; hoc attento, quod Psalmi intonantur alternatim ab Hebdomadario, & Subhebdomadario. Similiter enunciare Capitulum, ac omnes orationes, & versus ad preces, & in officio B. Virginis, & in fine officij, Dominus det nobis suam pacem, & antiphonam B. Virginis incipere, legere tertiam lectionem de Homilia in Matutino, vel secundam diebus solemnibus, vt suprà. Cùm verò decantatur officium, eius quoq; muneris est, intonare primam antiphonam ad nòcturnum, Laudes, & Vesperas, necnon Antiphonas ad Benedíctus, Magnificat, & Nunc dimittis, ac dùm decantatur Responsorium super tumulum, canere associatus Vicario versum, Requiem æternam &c. ac solus postea Versiculos, & orationes. Cùm autem fit officium solemne, vel quomodolibet Missa, aut Vesperę sūt cum Ministris paratis decantandæ, ipse sit, qui paramenta Sacerdotalia induat, ac prædicta decantet, nisi tunc fiat officium à Priore, aut aliter ab ipsomet Priore fuerit dispositum. Absentibus verò Priore, & Vicario, ad eũ quoq; pertinebit regere Chorum, & cuncta in Choro, & alijs actibus publicis efficere, quę Superiorem spectant, & etiam vbiq;, nisi Prior aliter disposuerit, aut in aliquibus eius auctoritatem limitauerit.

82. Perfecta sua Hebdomaria, hebdomada sequente Subhebdomadarij officio fungetur, intonando scilicet Psalmos à suo Choro, cum officium non cantatur, & post datum primum signum ad Primam, singula die quoq; celebrabit.

83. Cantoris officium (quòd, vt suprà, incipit) est cantanda in Choro, & alibi incipere, seù intonare; & ideò debet singula huiusmodi diligenter pręparare, ac præuidere. Cùm itaq; officium est decantandum, si fiat duplex, ipse, & Subcantor antè faciſtorium simul cantabunt inuitatorium ad Matutinum, ac psalmum Venite. Intonabunt Hymnum pronunciando totum primum versum. Distribuent alternatim Antiphonas ad nocturnos, Laudes, & Vesperas, ità vt Cantor semper primam Antiphonam Hebdomadario, seù ei, qui facit officium, asignet, seù annunciet, deindè Subcantor ab alio Choro aliã vni ex maioribus, & sic successiuè per Choros alternatim; Et hoc si officium fiat solemne, quia si non erit solemne, præter primam Antiphonam, quæ semper Hebdomadario est asignanda, poterunt eas distribuere Clericis, vel Sacerdotibus iunioribus, incipiendo tamẽ semper à maioribus in tali gradu. Antiphonas verò ad Benedíctus, Magnificat, & Nũc

M dimittis

dimittis annunciabunt ſemper quoq; Hebdomadario, ſeù ei, qui facit officium. Intonabunt etiam Pſalmos, progrediendo vſq; ad dimidium primi Verſiculi. Intonabunt Antiphonas, cùm ſunt repetēdæ à Choro poſt Pſalmos, & in fine canent ſimul Benedicamus Domino, ſicut ad Veſperas, ac Requieſcant in pace, cum ſit officium ſolemne pro defunctis. Ad reliquas quoq; horas intonabunt Hymnos, Pſalmos, & Antiphonas, vt ſuprà. Ad Miſſam conuentualem intonabunt introitum, ac cantabunt primam partem verſus ad ipſum ſubſequentis, & Gloria &c. Iterabunt intonando introitum. Intonabunt Kyrieeleyſon. Poſtquàm intonatum fuerit Gloria in Excelſis &c. per Sacerdotem, incipient; Et in terra pax &c. proſequentibus vtriſq; Choris alternatim, ſicut & ad Kyrieeleyſon, ac Credo, vel vtriſq; ſimul, cum organis reſpondentibus. Intonabunt Graduale, cuius verſum ſubſequentem aſsignabit Cantor decantandum duobus Clericis aptioribus, alternatim ex vtroq; Choro ſelectis, vel ipſis deficientibus, duobus Sacerdotibus. Intonabunt Tractum, ſi erit dicendum, cuius verſus erunt alternatim ab vtroq; Choro decantandi. Simul canēt Alleluia cum ſuo verſu. Et cum tempore Paſchali duo erunt dicēda Alleluia, primum aſsignabunt duobus Cantoribus alternatim ex vtroq; Choro, vt ſuprà, delegendis, & vltimum ipſi decantabunt. Incipient Patrem omnipotentem &c. poſtquàm à Sacerdote intonatum fuerit Credo. Intonabunt Offertorium. Incipient Sanctus decantandos per vtrunq; Chorum ſimul. Incipient poſt eleuationem Sanctiſsimi Sanguinis, Benedictus decantandum vt ſuprà. Incipient Agnus Dei omnes, quos proſequetur uterque Chorus ſimul. Intonabunt deniq; Poſtcommunionem. Si officium fiat ſemiduplex, intonabit Cantor omnia ſolus, non aſſociatus Subcātori, præter Pſalmos, & Antiphonas, quas intonabunt alternatim Cantor, & Subcantor. Alleluia tamen ad Miſſam cantabunt ſimul, ac Inuitatorium, & pſalmum Venite, ſi erunt decantanda. Si tandem officium fiat de ſimplicibus, aut de feria, intonabit Cātor ſimiliter omnia ſolus, Pſalmos, & Antiphonas quoq; alternatim. Ad Miſſam verò Cantor intonabit etiam ſolus verſum poſt Graduale, quem proſequentur vtriq; Chori ſimul, ſimiliter Alleluia, ac verſum ſubſequentem, præterquàm quandò duo ſunt dicenda, quia tunc ſemper ſecundùm erit decantandum à Cantore, & Subcantore aſſociatis. Intonabit etiam Reſponſorium, cùm ſuper tumulum defunctorum abſolutio erit facienda, ac cantabit verſum aſſociatus Subcantori, vt dictum eſt. Similiter cum mortui erunt ſepeliendi, intonabit Reſponſoria, cantabit verſus, & reliqua opportuna de more. Cùm proceſsio aliqua ſolemnis erit habenda, ipſe, & Subcantor in medio Chori genuflexi intonabunt Hymnos; vel Litanias decantandas, quibus per Monachos erit reſpondendum. In Refectorio ad benedictionem menſæ, intonabit in medio, Benedicite, & Antiphonam pro tempore dicendam, iuxtà Rubricas Breuiarij, & ad gratiarum actionem,

Tu autem Domine &c. cum Antiphona,& Psalmo,vt suprà, dicendis. Intonabit etiam ad mandatum faciendum in die Cęnę Domini, & alias quādocunq; aliquid erit decantandum.

84. Subcantoris munus est,cum officium fit duplex, associatus Cantori cantanda,vt suprà,cantare,vel intonare,& Antiphonas à suo Choro distribuere,diebusq; solemnibus Presbytero Missam, ac Vesperas decantaturo, paratus vnà cum Cantore,& alijs assistere,ac inseruire. Cùm verò officiū non sit duplex,solus à suo Choro Psalmos cantandos intonare,ac Antiphonas distribuere,& illas post Psalmos repetere.

85. Quià verò eadem hebdomada,vt communiter,etiam lectoris munere fungitur,pro istius muneris functione, ad eum pertinet primam lectionē in Refectorio ad mensam in tono solito cantare,post quam genuflexus antè Superiorem benedictionem recipiet, ac ad eius nutum librum pro secundâ lectione alteri deferet. Cùm verò extrà Refectorium sit cōmestio, leget ipse solus in mensa. Lectionem quoq; habebit in Capitulo antè Completorium, nisi tunc sacræ Scripturæ,aut Casuum conscientiæ lectio à Theologo secundum formam Statutorum sit habenda. Absoluto Lectoris munere, hebdomada sequente mensæ ministrabit,secundùm antiquam Congregationis consuetudinem.

86. Ex ordinationibus sæpius repetitis. In quolibet Congregationis nostræ Monasterio,etiam si ibidem Monachi degant pauci,habeatur in mensa aliqua lectio. Hoc est in Monasterijs maioribus,cum commestio fit in Refectorio,habeantur duæ lectiones. Prima sit ex Homilia Euangelij currentis,si decurrat Euangelium particulare, vel ex hystoria sacræ Scripturæ iuxtà officium decurrente,vel etiam ex sermonibus, vel Cōcionibus in epistolam currentem; secunda verò sit,vel ex Regula, aut Statutis, vel ex aliquibus libris spiritualibus,& proficuis,etiam si sint materno idiomate æditi. Cùm verò commestio fit extrà Refectorium, habeatur lectio sola sinè Cantu; quæ sit vel ex Homelijs in Euangelia currentia, vel ex sermonibus, aut Concionibus in epistolas vt suprà, vel ex partibus sacræ Scripturæ, vel ex Regula, Statutis,vel Ordinationibus,vel ex epistolis, aut alijs operibus Diui Patris Hieronymi,aut aliorum Patrum,aut piorum, & insignium auctorum. In Monasterijs maioribus sit prolixior. In minoribus verò sufficiat breuitor, ad nutum Superioris.

87. Versicularij munus est,cum officium non est decantandum, libros, in quibus Psalmi,Hymni, Lectiones, & Antiphonę sunt communiter recitandæ,opportuno tempore præparare,& aptè dirigent. Ad Matutinum inuitatorium cum psalmo Venite,dùm officium sit duplex, vnà cum Subuersiculario,cùm verò non sit duplex,solus pronunciare, Ad nocturnos,ac Laudes,& Vesperas Antiphonas cum Subuersiculario alternatim dicere. Versus post Hymnos in Laudibus, & Vesperis, cum officium sit duplex,semi-

dimittis annunciabunt ſemper quoq; Hebdomadario,ſeu ei, qui facit officium. Intonabunt etiam Pſalmos,progrediendo vſq; ad dimidium primi Verſiculi. Intonabunt Antiphonas,cùm ſunt repetēdæ à Choro poſt Pſalmos, & in fine canent ſimul Benedicamus Domino, ſicut ad Veſperas, ac Requieſcant in pace,cum ſit officium ſolemne pro defunctis. Ad reliquas quoq; horas intonabunt Hymnos,Pſalmos, & Antiphonas, vt ſuprà. Ad Miſſam conuentualem intonabunt introitum, ac cantabunt primam partem verſus ad ipſum ſubſequentis, & Gloria &c. Iterabunt intonando introitum. Intonabunt Kyrieeleyſon. Poſtquàm intonatum fuerit Gloria in Excelſis &c. per Sacerdotem, incipient; Et in terra pax &c. proſequentibus vtriſq; Choris alternatim,ſicut & ad Kyrieeleyſon,ac Credo,vel vtriſq; ſimul,cum organis reſpondentibus. Intonabunt Graduale, cuius verſum ſubſequentem aſsignabit Cantor decantandum duobus Clericis aptioribus,alternatim ex vtroq; Choro ſelectis,vel ipſis deficientibus,duobus Sacerdotibus. Intonabunt Tractum,ſi erit dicendum, cuius verſus erunt alternatim ab vtroq; Choro decantandi. Simul canēt Alleluia cum ſuo verſu. Et cum tempore Paſchali duo erunt dicēda Alleluia,primum aſsignabunt duobus Cantoribus alternatim ex vtroq; Choro, vt ſuprà,delegendis, & vltimum ipſi decantabunt. Incipient Patrem omnipotentem &c. poſtquàm à Sacerdote intonatum fuerit Credo. Intonabunt Offertorium. Incipient Sanctus decantandos per vtrunq; Chorum ſimul. Incipient poſt eleuationem Sanctiſsimi Sanguinis, Benedictus decantandum vt ſuprà. Incipient Agnus Dei omnes,quos proſequetur uterque Chorus ſimul. Intonabunt deniq; Poſtcommunionem. Si officium fiat ſemiduplex, intonabit Cantor omnia ſolus,non aſſociatus Subcātori,præter Pſalmos, & Antiphonas,quas intonabunt alternatim Cantor,& Subcantor. Alleluia tamen ad Miſſam cantabunt ſimul,ac Inuitatorium, & pſalmum Venite, ſi erunt decantanda. Si tandem officium fiat de ſimplicibus, aut de feria,intonabit Cātor ſimiliter omnia ſolus,Pſalmos,& Antiphonas quoq; alternatim. Ad Miſſam verò Cantor intonabit etiam ſolus verſum poſt Graduale, quem proſequentur vtriq; Chori ſimul, ſimiliter Alleluia, ac verſum ſubſequentem, præterquàm quandò duo ſunt dicenda, quia tunc ſemper ſecundùm erit decantandum à Cantore, & Subcantore aſſociatis. Intonabit etiam Reſponſorium, cùm ſuper tumulum defunctorum abſolutio erit facienda, ac cantabit verſum aſſociatus Subcantori, vt dictum eſt. Similiter cum mortui erunt ſepeliendi, intonabit Reſponſoria,cantabit verſus,& reliqua opportuna de more. Cùm proceſsio aliqua ſolemnis erit habenda, ipſe,& Subcantor in medio Chori genuflexi intonabunt Hymnos; vel Litanias decantandas, quibus per Monachos erit reſpondendum. In Refectorio ad benedictionem menſæ, intonabit in medio,Benedicite,& Antiphonam pro tempore dicendam,iuxtà Rubricas Breuiarij, & ad gratiarum actionem,

Tu autem Domine &c. cum Antiphona,& Psalmo,vt suprà, dicendis. Intonabit etiam ad mandatum faciendum in die Cęnę Domini, & alias quādocunq; aliquid erit decantandum.

84. Subcantoris munus est,cùm officium fit duplex, associatus Cantori cantanda,vt suprà,cantare,vel intonare,& Antiphonas à suo Choro distribuere,diebusq; solemnibus Presbytero Missam, ac Vesperas decantaturo, paratus vnà cum Cantore,& alijs assistere,ac inseruire. Cùm verò officiū non sit duplex,solus à suo Choro Psalmos cantandos intonare,ac Antiphonas distribuere,& illas post Psalmos repetere.

85. Quia verò eadem hebdomada,vt communiter,etiam lectoris munere fungitur,pro istius muneris functione, ad eum pertinet primam lectionē in Refectorio ad mensam in tono solito cantare,post quam genuflexus antè Superiorem benedictionem recipiet, ac ad eius nutum librum pro secundâ lectione alteri deferet. Cùm verò extrà Refectorium fit cōmestio, leget ipse solus in mensa.Lectionem quoq; habebit inCapitulo antè Completorium, nisi tunc sacræ Scripturæ,aut Casuum conscientiæ lectio à Theologo secundum formam Statutorum sit habenda. Absoluto Lectoris munere, hebdomada sequente mensæ ministrabit,secundùm antiquam Congregationis consuetudinem.

86. Ex ordinationibus sæpius repetitis. In quolibet Congregationis nostræ Monasterio,etiam si ibidem Monachi degant pauci,habeatur in mensa aliqua lectio. Hoc est in Monasterijs maioribus,cum commestio fit in Refectorio,habeantur duæ lectiones. Prima fit ex Homilia Euangelij currentis,si decurrat Euangelium particulare, vel ex hystoria sacræ Scripturæ iuxtà officium decurrente,vel etiam ex sermonibus, vel Cōcionibus in epistolam currentem; secunda verò fit,vel ex Regula, aut Statutis, vel ex aliquibus libris spiritualibus,& proficuis,etiam si sint materno idiomate ædití. Cùm verò commestio fit extrà Refectorium, habeatur lectio sola sinè Cantu; quæ fit vel ex Homelijs in Euangelia currentia, vel ex sermonibus, aut Concionibus in epistolas vt suprà, vel ex partibus sacræ Scripturæ, vel ex Regula,Statutis,vel Ordinationibus,vel ex epistolis, aut alijs operibus Diui Patris Hieronymi,aut aliorum Patrum,aut piorum, & insignium auctorum. In Monasterijs maioribus sit prolixior. In minoribus verò sufficiat breuitor, ad nutum Superioris.

87. Versicularij munus est,cum officium non est decantandum, libros, in quibus Psalmi,Hymni, Lectiones, & Antiphonę sunt communiter recitandæ,opportuno tempore præparare,& aptè dirigent. Ad Matutinum inuitatorium cum psalmo Venite,dùm officium fit duplex, vnà cùm Subuersiculario,cùm verò nōn fit duplex,solus pronunciare, Ad nocturnos,ac Laudes,& Vesperas Antiphonas cum Subuersiculario alternatim dicere. Versus post Hymnos in Laudibus, & Vesperis, cum officium fit duplex,semi-

duplex, vel de Dominica, associatus Subuersiculario, alioquin solus, ac etiã Versiculos, seu Responsoria breuia ad horas post Capitulum, ac etiam ad Completorium semper solus enunciare Confessionem ad Primam, & ad Completorium cum Sacerdote facere. Lectionem quoq; breuem, & Martyrologium ad Primam legere, ac semper primam lectionem in Matutino, ac etiam omnes lectiones in Matutino B. Virginis, ac in officio defũctorum dicere. Et hæc dùm officium non cantatur. Cùm verò cantatur, præter prædicta, repetet Antiphonas, dùm organa pulsantur, ac cantabit Benedicamus Domino post Vesperas cum Subuersiculario, si erit semiduplex, aut de Dominica; vel solus, si de feria, vel simplici. Et dùm erunt capitulariter dicendæ culpæ, ipse ad signum Superioris dicet Iube &c. ac lectionem breuem, & etiam culpas, nisi aliter Superiori videatur. In Missa verò conuentuali inseruiet secundum ritum superius expositum; Ac tandem assistet, & inseruiet Hebdomadario in omnibus opportunis, dùm officium, vel Missa celebratur, ac cuncta alia efficiet, quę Clerici partes respiciunt.

88. Hebdomada verò sequente erit Subuersicularius; cuius officium est, dùm dicitur officium, assistere cùm Versiculario antè facistorium, cum eo inuitatorium, versus, & Antiphonas, vt suprà, dicere, ac inseruire Sacerdoti in Missa conuentuali, vt dictum est.

89. Alij officiales Chori, vt Diaconus, & Subdiaconus in suis muneribus inseruient, vt in Rubricis Missalis; Et alij minores, vt Ceroforarij secundum praxim in Congregatione vsitatam.

90. Si quis ex prædictis officialibus, ob aliquod necessariũ impedimẽtum à Choro abesse contingat, eius munere tùnc fungatur qui ab eo Choro immediatè est ei inferior, secundum primogenitam Religionis. Et si omniũ infimus absit, supremus in eodem ordine eius officium exequatur.

CAPVT VIII.

Quæ sint in Choro cantanda; Quandò organa pulsanda; Et de libris pro seruitio Chori, & aliorum habendis; Et paramentis pro usu Sacrastiæ.

91. QVoniam in Regula dicitur. Quod autem non ità scriptum est, vt cantetur, non cantetur; Ac in Statutis. In Monasterijs, vbi hoc commodè fieri potest, esse cantandum Missam conuentualem, Vesperas &c. Nullibi verò ex Regula singulariter præscribitur, quæ sint in Choro cantanda, nec ex Statutis, quæ sint Monasteria huiusmodi, in quibus hoc commodè fieri potest: Ideò inhęrentes probatæ nostræ Congregationis consuetudini, hæc declarando dicimus. Quòd in Monasterijs maioribus, in quibus vigere solet strictior obseruantia, (quę declaramus illa esse, in quibus resident ad minus duodecim Monachi conuentuales, ex-

cepto Priore, & Economo, Choro indeficienter inseruientes) debet cantari singulis diebus Missa conuentualis, cum Sacerdote decenter parato, ac Ministris inseruientibus, secundum festorum diuersitatem, vt suprà. Cantentur quoq; diebus non festiuis, ac non solemnibus Vesperæ à Capitulo, & Iube domne benedicere cum lectione breui, & Antiphona Beatę Mariæ in fine ad Completorium; Quæ iuxtà ordinationem factam de anno 1612. vbi est Altare B. Virginis, decantetur diebus Sabbati, ac in solemnitatibus eiusdem B. Virginis, ad prædictum Altare. Diebus autem festiuis cantentur Vesperæ integrè, ac hora tertiarum, & diebus Dominicis Antiphona pro aspergenda Ecclesia, ac populo de more. Diebus verò solemnioribus supra explicatis, vbi est magnus Monachorum numerus, cãtetur etiam Nona, ac totum Completorium, & vtraq; Vesperæ, necnon primum nocturnũ ad Matutinum, & Te Deum &c. ac Laudes à Capitulo. In solemnissimis verò etiam totum Matutinum cum Laudibus, ac Prima. Vbi verò non est adeò ingẽs Monachorum numerus, in solemnioribus hora tertiarum, & secundę Vesperæ integrè. In solemnissimis verò saltem primum nocturnum ad Matutinum, cùm Hymno, Te Deum, ac Laudibus à Capitulo, ac Completorio. In die tamen Natiuitatis Domini totum Matutinum decantetur, ac etiam tribus diebus hebdomadæ maioris, cum fiũt officia tenebrarum. Hymnus autem, Te Deum &c. cantetur in prædictis Monasteris omnibus, singulis duplicibus.

92. In Monasterijs verò minoribus, in quibus tamen degunt decẽ Monachi Choro inseruientes, cantetur infrà hebdomadam Missa conuentualis, saltem alternis diebus. Et singulis duplicibus, ac semiduplicibus Vesperę à Capitulo. (Possint tamen dici suffragia sinè cantu, præter vltimam antiphonam, quę cantetur, vt Vesperæ concludantur cum cantu;) ac benedictio cum lectione breui ad Completorium, & Antiphona B. Virginis in fine. Diebus autem festiuis omnibus, hora tertiarum, Missa conuentualis, cum Antiphona pro aspersione acquę benedictę diebus Dominicis, & Vesperę integrè.

93. In Monasterijs adhuc inferioribus, vbi tamen degunt saltem sex Monachi pro Choro, cantetur tantum diebus festiuis Missa conuentualis, ac Vesperæ, si fieri potest, & iuxtà Rubricas Breuiarij vbiq; legatur ad Primã lectio ex Martyrologio.

94. Diebus tamen Natiuitatis Domini, Hebdomadæ maioris, ac Sanctissimi Patris Hieronymi, & Patroni proprię Ecclesiæ, quibus officia solemnissimè celebrare debemus, quantùm Monachorum numerus patitur, dicãtur vbiq; officia cum cantu, scilicet in Natiuitate Domini decantetur Matutinum hora competenti, & aliæ horæ, vt suprà, & saltem duæ Missæ conuentuales, scilicet prima, & vltima, vbi fieri potest. Die Cœnæ Domini vbiq; Missa conuentualis, & etiam, si fieri potest, alijs diebus eiusdem hebdomadæ,

dæ, cum Paſsione, & reliquis, quę adnotantur in Miſſali, ac in feſto Sanctiſſimi Patris Hieronymi, & proprij Patroni Eccleſiæ, ſolemniſsimè, quantùm fieri poteſt, fiant omnia officia.

95. Organa in Eccleſijs Monaſteriorum noſtrorum ad maiorem Diuini cultus ſplendorem, ac ad deuotionem populorum augendam haberi permittimus; ipſa tamen pulſari, niſi ſolemnibus, vel feſtiuis diebus, pręter tantùm tempora Quadrageſsimæ, & Aduentus aliquo ſolemni non occurrente non patimur. Cantum item figuratum prædicta de cauſa, ſecundũ Monaſteriorum conſuetudinem, non inhibemus.

96. Vt autem prædicta exequi poſsint, mandamus, vt in ſingulis Monaſterijs ſint Antiphonalia cum cantu notata, de tempore, & de Sanctis, Gradualia, Hymnale, Kyriale, & alij libri neceſſarij ad canendas Miſſas, Veſperas, & alias horas ſecũdum debitum vniuſcuiuſq; Monaſterij. Et etiam libri, in quibus ſint adnotatæ paſsiones, & lamentationes decantandæ in hebdomada maiori, & oratio Hieremiæ Prophetę iuxtà morem noſtrum, ac Antiphonæ, & Reſponſoria pro ſepeliendis mortuis, & pro ſolemnibus proceſſionibus habendis. Et vbi non ſunt, quamprimùm emantur. Vbi autem ſunt, ſed lacerata, & diſciſſa, quamcitius reſtaurentur, ac reficiantur, & de eis impoſterum habeatur diligens cura.

97. Item in ſingulo Monaſterio habeatur ſaltem vnum Pſalterium magnum, in quo Monachi pſallere poſsint antè faciſtorium, & alia duo parua pro vſu Monachorum, dùm manent in proprijs ſedibus, vel etiam plura pro Monachorum quantitate. Item vnum Lectionale, vel Breuiarium magnũ ex reformatis, in quo perlegantur lectiones ad Matutinum antè Vicarium. Item Martyrologium reformatum legendum ad Primam. Item ſaltem vnum Manuale pro vſu Hebdomadarij, vel duo in Monaſterijs maioribus.

98. Item pro vſu Sacriſtiæ Miſſalia reformata, bona, & plura pro Sacerdotum numero. Item calices ſufficientes, vt ſuprà, cùm cuppa, & patena argenteis, & benè deauratis. Item paramenta ſufficientia, & ſerica, ac bona, pro diuerſitate colorum, quibus vtitur Eccleſia.

99. Item Hiſtoria, ſeù legenda Sanctorum pro lectione ad Nonam faciẽda. Item Homiliare pro legendis Homelijs in menſa. Item Biblia Romana pro hoc, & alijs vſibus. Item Regula Sancti Auguſtini, Statuta noſtra, Ordinarium, & ordinationes Capitulorum Generalium. Item expoſitio aliqua in Regulam Sancti Auguſtini alicuius probati auctoris, vt Vgonis de Sancto Victore, vel alterius ex probatioribus. Item aliquot libri ſpirituales, tùm latino, tùm materno idiomatè legendi in menſa, ac pro exercitio Monachorum.

100. Ac etiam deſideramus, vt in Monaſterijs ſaltem maioribus inſtituantur Bibliotecæ, in quibus potiſsimùm reponantur textus iuris Canonici, opera Doctorum Sanctæ Eccleſiæ, & aliorum Patrum inſigniorum, Commenta-

mentationes magis approbatorum auctorum super Sacram Scripturam, necnon auctores pertinentes ad scientias speculatiuas pro vsu eorum, qui studijs incumbunt.

101. Volumus autem, vt omnium prędictorum fiant distincta inuētaria, ac iuxtà illa quilibet Prior teneatur in fine proprij officij ea successori consignare. Et ob id ad custodiendos libros, & prædicta poterunt Superiores initio sui Regiminis mandare sub grauioribus pœnis, etiam excommunicationis, nè quis ea subripiat, aut quouis modo malitiosè deperdat.

CAPVT XI.

Quibus horis pulsandum est ad officium, ac alijs actibus publicis insistendum.

102. ETsi Statuta nostra cap. 2. tempora præscribant, quibus pulsandum est ad Matutinum, ac ad Primam: Vt tamen de singulis horis Canonicis, ac reliquis actibus publicis quoad hoc, quantùm fieri potest, certa regula habeatur, sic deinceps tempora distinguimus. Vt videlicet in Monasterijs maioribus iuxtà Statutorum dispositionem surgatur per totum annum ad Matutinum media nocte, vel quasi. Et si per nostros Superiores dispensetur, vt occasione studiorum, vel alia valdè rationabili magis, vel minus differatur, nunquam tamen ità differatur, quin semper Matutinæ preces sint absolutæ saltem in aurora. Quocirca prudentis erit Superioris, iuxtà noctium augumentum, ac decremētum, speciales horas, quibus singulis anni temporibus ad Matutinum pulsari debeat, constituere, & diligentis Sacristæ eas nullatenus præterire.

103. Ad Primam pulsetur in ortu solis secundum eorundem Statutorum dispositionem, vel alio tempore opportuniori, iuxtà locorum cōsuetudinē; ità tamen vt inter primum, & secundum signum transeat semper tantùm temporis, quò prima Missa commodè celebrari posit; Quamuis occasione studiorum posint nostri Superiores dispensare, vt dicatur vel statim post Matutinum, vel antè Tertiam immediatè.

104. Ad Tertiam diebus, quibus non ieiunamus, pulsetur per binas horas, vel quasi antè horam prandij, ità vt transacto inter primum, & secundū signum solito interuallo, supersit semper antè prandium ad minus hora cū dimidio ad Missam conuentualem decantandam, ac reliquas horas persoluendas: Hora prādij, quia variatur secundum temporum decursum, accommodetur communi locorum consuetudini, ità tamen vt diebus supradictis, quibus non ieiunamus, etiàm tempore æstiuo nunquàm antecedat horam tertiamdecimam cum dimidio, nec etiàm in hyeme postponatur horę decimænonæ. Diebus verò ieiunij pulsetur ad Tertiam tardius, & absoluta

Tertia,

Tertia, & Sexta fiat competens interuallum vsque ad Nonam, hac habita ratione, vt supersit hora cum dimidio ad Nonam, ac Missam conuentualem persoluendam. Hora verò prandij diebus ieiunij sit sub meridie, vel circà.

105. Sexta diebus ferialibus, ac cùm sit officium de simplici, dicatur statim post tertiam, ac postea celebretur Missa conuentualis iuxtà Rubricas Missalis Romani. Alijs verò diebus dicatur Tertia, postea Missa conuentualis, & post eam Sexta.

106. Ad Nonam diebus ieiunij pulsetur, vt supra. Diebus verò alijs, tempore æstiuo, quo de die dormiunt Monachi, hoc est à Pascha Resurrectionis vsque ad festũ sanctissimi Patris Hieronymi, pulsetur hora decimasexta vel circà, secundum dierum augumentum, ac decrementum; ità tamen vt à pulsu dormitionis diurnæ vsque ad Nonam semper pertranseat saltem hora cum dimidio. Diebus verò, quibus non ieiunamus, ac quibus non dormimus de die, scilicet à festo sanctissimi Patris Hieronymi usq; ad diem Resurrectionis, pulsetur ad Nonam in fine prandij, ac dicatur statim absolutis gratiarum actionibus in Ecclesia.

107. Ad vesperas, vbi Monasteria nostra sunt in Ciuitatibus, aut Oppidis populatis pulsetur, iuxtà aliarum Ecclesiarum, & præcipuè magis insignium consuetudinem; Si verò sint in locis, in quibus nullæ sint circunstantes Ecclesiæ, pulsetur hora competenti secundum dierum longitudinem, ac breuitatem, ità tamen vt primum signum nunquàm antecedat horam decimamnonam etjam diebus æstiuis, nec vnquàm diferatur post horam vigesimam etiam diebus hyemalibus; Tempore autem Quadragesimæ, cum vesperæ sunt dicendæ antè prandium, pulsetur paulò antè finem vltimę Missæ conuentualis, ità ut ea absoluta statim incipiantur Vesperæ.

108. Ad Completorium diebus æstiuis pulsetur hora vigesimasecunda, vel paulò antè, cum est habẽda lectio in Capitulo, ac Stationum Indulgentiæ sunt in Ecclesia recipiendę, habita semper hac ratione, vt Completotorium cum omnibus prædictis, ac oratio mentalis sint absoluta antè horam vigesimamtertiam, qua eundum erit ad cœnam. Diebus verò hyemalibus pulsetur ad Completorium circa horam vigesimamtertiam vel paulò antè, ità vt expeditis omnibus predictis sit hora vigesimaquarta vel circà, quà pulsandum est ad Aue Maria. Hora cœnę, vel paruæ collationis, cum est ieiunium, ęstiuo tempore vt cõmuniter, sit circà horam vigesimamtertiam. Alijs temporibus varietur, & accomodatur, vt supra, ità tamen, vt nec in æstu antecedat horam vigesimamsecunda cum dimidio, nec in hyeme postponatur duabus horis noctis cum dimidio.

109. Officium paruum B. Virginis, cum est dicendum in Choro, dicatur iuxtà pręscriptum Rubricarum Breuiarij Romani, scilicet Matutinum cum Ladibus antè Matutinum, Vesperę antè Vesperas, & reliquæ horæ cũ Completorio, post reliquas horas, & Completorium Officij maioris.

110. Of-

110. Officium à mortuis, cum similiter in Choro est dicendum, dicatur vel immediatè post prandium, vel hora Nonæ tempore æstiuo, quia hæc est consuetudo Congregationis nostræ, in hoc ex Rubricis Breuiarij admissa. Cùm autem fiunt officia solemnia, dicatur de mane immediatè antè Missam solemnem.

111. Psalmi pœnitentiales dicantur immediatè post Laudes officij maioris. Graduales post Completorium diei præcedentis, iuxtà easdem Rubricas.

112. Hora incumbendi studijs litterarum in Scholis, ac habendi lectiones à peritis, sit à primo manè vsque ad primum signum Tertiarum, ac à Vesperis vsque ad signum primum Completorij diebus æstiuis, vel à dato signo ad Aue Maria vsque ad horam cœnę tempore hyberno. Hora vacandi exercitijs alijs, etiàm corporalibus, ex obedientia ad exercendam humilitatem à Superiore iniungēdis, sumatur extrà tempus studijs opportunum, vt statim post prandium, vel à Nona vsque ad Vesperas, vel alia simili.

CAPVT XII.

Quomodo debet fieri Disciplina communis; Et teneri Capitulum culparum; Ac simul de forma absolutionis Sacramentalis à peccatis, & Censuris.

113. Disciplina communis, quæ sextis ferijs ex Statutis fieri debet, fiat hoc modo. Post Completorium, congregatis omnibus Monachis, ac Fratribus in loco capitulari, ac ibi secundum ordinem antè imaginem Domini Nostri Iesu Christi genuflexi, ostioq;, ac fenestris obstrusis, Vicarius incipiat submissa voce Psalmum Miserere, & tunc vnusquisque super scapulam sibi denudatam faciat disciplinam, prosequentibus alternatim per Choros. Expleto Psalmo, desistant à disciplina; Et Vicarius dicat Kyrieeleyson &c. & deindè secretò Pater noster. Posteà ℣. Et ne nos inducas in tentationem &c. Saluos fac seruos tuos &c. Domine exaudi orationem meam &c. Dominus vobiscum &c. Oremus. Respice, quęsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua &c. Per Christum Dominum nostrum &c. Posteà orent aliquanuulum secretò. Si Superiori videatur, poterit post disciplinam haberi sermo inductiuus vel ad meditandum aliquem punctum passionis Domini Nostri Iesu Christi, vel ad inuehændum animo contrito contra propria peccata, ac de eis ex corde dolendum, vel ad patienter huius Mundi tribulationes perferendas, vel ad immitationem Sanctorum occurentium, ad faciendum opera dignia pœnitentiæ, vel ad alia similia. Et præsertim in vigilijs præcipuis. Et tunc facta disciplina, apertisq; fenestris, & cunctis secundum ordinem sedentibus habeatur sermo.

114. Eodem pacto fieri debet disciplina particularis per Monachos in proprijs cellis, sed in Oratione, vbi dicitur, super familiam tuam, dicatur, super famulum tuum, applicando reliqua in singulari proportionaliter. Ad quam quidem disciplinam frequenter habendam eo vehementius hortamur, quo cognoscimus esse efficacissimum remedium ad triumphandum de familiari inimico, & ad satisfaciendum Diuinæ iustitiæ pro peccatis.

115. Cum verò disciplina est publicè infligenda in pœnam alicuius culpæ publicæ, culpabilis in Refectorio antè prandium, vel cœnam statim post benedictionem genuflexus antè Vicarium, vel Magistrum nouitiorum, ac scapula sibi denudata humiliter sustineat disciplinam omnibus genuflexis præter percutientem, qui incipiat psalmum Miserere &c. omnibus prosequentibus alternatim per Choros, & vtsuprà. Sed dicat in Oratione, Deus, cui proprium est misereri &c. & hunc famulum, quem delictorum catena constringit &c. applicando reliqua in singulari. Sic cum in particulari, vel secretò est infligenda disciplina ob secretam culpam.

116. Forma verò absolutionis sacramentalis à peccatis seruetur, quæ ex Summistis modernioribus, præsertim Nauarra in Manuali cap. 26. nu. 11. traditur, scilicet vt absoluta confessione, ac præmissis debitis adhortationibus, vel repræhensionibus, & imposita debita pœnitentia, Sacerdos dicat orationes deprecatorias, nempè Misereatur tui &c. Indulgentiam &c. & posteà saltem ad bene esse priùs pœnitentem à censuris, deindè à peccatis absoluat, dicens. Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, quà fungor, absoluo te in primis à vinculo excõmunicationis, suspensionis, ac interdicti, inquantũ possũ, & indiges. Itẽ eadẽ auctoritate absoluo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen; ac demùm subiungat alias orationes, scilicet. Passio Dñi nostri Iesu Christi, & merita B. Mariæ semper virginis, & B. Patris Hieronymi, ac omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, ac mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ; Et sic dicendo illa verba. Vade in pace, & noli amplius peccare, benedicat eum, In nomine Patris, &c. & dimittat in pace.

117. In absolutione verò ab excommunicatione infligitur disciplina pœnitenti, vel Sacerdos absoluens quomodolibet percutit eum scilicet disciplina, fune, vel virga dicendo psalmum Miserere, vtsupra, aut alium ex pœnitentialibus, ac in fine Kyrieeleison &c. vtsupra. Et in Oratione, Deus cui proprium est misereri &c. vbi habetur, quem delictorum catena constringit, dicat quem excommunicationis catena constringit. &c. Deindè subiungat, & ego auctoritate, quà fungor, absoluo te à vinculo excommunicationis, quam ob talem, vel talem causam incurristi, In nomine Patris &c. Idem seruatur modus in absoluendo ab alijs censuris; Sed circà irregularitatem non dicitur, absoluo te, sed dispenso tecum super irregulari-

tate,

tate, quam ob talem, vel talem causam incurristi &c. quia irregularitas non est cēsura Ecclesiastica, sed impedimentum canonicum. Et si absoluat, vel dispenset ex facultate sibi per aliquem particulariter concessa, vel delegata, exprimat dicens. Et ego auctoritate mihi per talem, vel talem concessa, vel delegata, absoluo te &c. vel dispenso tecum &c.

118. Capitulum commune culparum ijsdem sextis ferijs, vt in Statutis, tenendum, teneatur hoc modo. Post Primam, ad signum campanulę congregentur omnes in loco Capitulari, & ad signum Superioris Versicularius in medio Capituli incipiat in tono solito dicens. Iube Domne benedicere. Ac Superior benedicendo dicat in eodem tono. Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris. Et per omnes respondeatur, Amen. Et tunc Versicularius erectus prosequatur lectionem breuem. Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, nè & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Tu autem Domine miserere nobis. Respondeatur per omnes. Deo gratias. Superior subiungat voce magis submissa. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Respondeant omnes. Qui fecit Cœlum, & terram. Et tandem Superior dicat. Agamus de culpis. Et tunc sedente Superiore in medio Capituli, ac Sacerdotibus circunstantibus, & sedentibus, reliqui secundum ordinem suum antè Superiorem genuflexi, & super facies prostrati, culpas suas dicant, scilicet prius Conuersi, Commisi, & Oblati, posteà Nouitij, & tandem Profesi. In ordine Conuersorum &c. dicat culpas is, cui Superior iniunxerit, vel etiam singuli sigillatim, ad nutum Superioris, & dicant culpas generales de more, posteà addant particulares. In ordine Nouitiorum dicat culpas Versicularius, vel singuli vtsupra. Et in ordine professorum Lector mensæ, vel etiam singuli, vtsuprà, quamuis cum Superiori videbitur, posit hoc demandare cui maluerit. Dictis culpis secundum ordinem, vtsuprà, Superior arguat, increpet, admoneat, adhortetur &c. prout eius prudentiæ expedire videbitur, imponatq; singulis pœnitentias pro qualitate culparum, quas omnes sinè contradictione humiliter recipiant, & exequantur, etiam si parum, vel nihil deliquisse nouerint, ad humilitatis, ac patientiæ meritum. Posit quoque Superior, si expedire ei videbitur, Sacerdotibus culpas tenere, ac eis quoque pœnitentiam iniungere, quam accipere, & exequi & ipsi teneantur vtsuprà. In fine culparum dicatur Confiteor per omnes genuflexos, & detur absolutio generalis per Superiorem, dicendo. Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c.

119. Posint, ac debeant Sacerdotes, præsertim prouectiores, & grauiores, dùm dicuntur culpæ, proclamare, hoc est indicare culpas fortè Superiori ignotas, & insistere, vt culpabilibus ad emendationem, ac aliorum exemplum pœnitentia imponatur; Sed id non faciant nisi ex charitate, vt

in Statutis. Ac proclamatus non posſit reſpondere, niſi de expreſsa Superioris licentia, aut interrogatus, vt ibidem.

120. Poſsint quoque, ac debeant ſaltem Nouitij dicere culpas breues duabus alijs vicibus ſingula hebdomada, hoc eſt diebus Mercurij, & Sabbathi, ſi tunc aliquod ſolemne feſtum non aduenerit. Et tunc poſt Matutinos coram Vicario, vel eorum Magiſtro ſuper facies proſtrati, vt prædicitur, dicant culpas à tùnc retrò commiſſas, & per eum pœnitentiæ condignæ imponantur.

CAPVT XIII.

Circà ieiunia, & abſtinentias.

121. EX ordinationibus de anno 1464. Diebus ieiuniorũ, quæ nõ ſunt de præcepto ſanctæ Matris Eccleſiæ, poſsit in ſero pro colatione dari parua panis portio; Diebus verò aliorum ieiuniorum, quæ ſunt de præcepto vt ſuprà, minimè, ſed dentur tantùm fercula, ſeù fructus, vel quid huiuſmodi juxtà locorũ conſuetudinem, & in parua quantitate.

122. Ex ordinat. 1609 Non permittant Superiores, vt parua colatio diebus ieiunij in ſero admiſſa, prandio præponatur, ac prandium ſero in Monaſterijs reſeruetur, cùm hoc videri poſsit tollere eſſentiam ieiunij; Et id ſub pœna priuationis ipſius Prioribus, ſi pręſenti ordinationi contrauenerint, mandamus.

123. Ex ordinat. 1464. Et habetur extrà de obſeruatione ieiuniorum, Cap. Explicari. Si dies Natiuitatis Domini in ſexta feria inciderit, ſoluant Regulares ieiunium, ſed non vtantur priuilegio ex eodem capite ſecularibus conceſſo, vt edant carnes, ſed veſcantur tantummodo ouuis, & laticinijs. Similiter ſi in Sabbatho aduenerit.

124. Abſtinentiæ obſeruandę à Kalendis Octobris vſque ad diem Reſurrectionis Domini requirunt, iuxtà conſuetudinem, quæ in Congregatione eſt in viridi obſeruantia, vt diebus Lunæ, Mercurij, & Sabbathi in ſerò nulla apponatur pitancia, & diebus Veneris omninò ſeruetur ieiunium, ſicut & toto anni decurſu, præter tempus Paſchale.

125. Non debent Superiores diſpenſare circà abſtinentias, niſi per duas hebdomadas in carnis præuio, immediatè antè Quadrageſsimam, & per vnam hebdomadam immediatè antè Aduentum, & diebus feſtiuis à populo colendis, iuxtà Congregationis conſuetudinem; diebus verò alijs cautè permittant huiuſmodi diſpenſationes.

CAPVT XIV.

De Infirmorum, & ægrotantium cura.

126. INfirmi, seù ægroti, quorum cura alicui, cuius animam timor Dei possideat, ex Statutis est iniungenda, existimandi sunt illi, qui laborant febribus, vel aliquo alio morbo corporali continuo, vel temporaneo. Et quamuis famulo Dei dicenti, quòd sibi caput doleat, sine dubitatione credendum sit, tamen si sint intemperati, pigritiæ dediti, & præsertim parati ad sumēdum cibos in solita quantitate, non ità facilè ad Valetudinarium admittantur, sed Medicus consulatur.

127. Quamuis autem ægrotis omne intendamus necessarium seruitium, tàm in ijs, quæ corporis, quàm quæ animæ salutem respiciunt, esse sedulò cum charitate exhibendum; Caueant tamen & ipsi, nè sua molestia, & impatientia sibi inseruientes contristent.

128. Infirmario in Monasterijs maioribus, ac numerosis, vel quotiescunq; ægrotantium numerus, vel morborum grauitas requirit, adiungatur socius, seù minister, qui vt communiter sit de Conuersorum, seu Commissorum numero.

129. Valetudinarium, quo magis fieri potest, sit salubri loco situm, ac habeat suas officinas necessarias, & cellas pro infirmis distinctas, cum caminis etiam, saltem pro infirmis grauatis; In eoq; sit paruum Oratorium constructum, in quo, dùm conualescunt, possint orare, ac reponatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum infirmis exhibendum, & alia opportuna occasione mortis, vel infirmitatis subministranda.

130. Iuxtà Statuta infirmi sunt frequenter à Priore, Vicario, & alijs ex charitatis officio inuisendi, consolandi, ac ad patientiam adhortandi; Et Superiores potissimum debent inuigilare, ne Infirmario aliquid desit infirmorum saluti necessarium, aut opportunum, maximè si sit de Medicorum cosilio, aut aliter expedire manifestè appareat; Sicut & Infirmarius debet successiuè de progressu infirmitatis Superiores admonere, vt de eorum licentia per officiales Monasterij quæcunque necessaria, & opportuna debitis temporibus possint suppeditari.

131. Adhortentur Infirmi à principio infirmitatis per Priorem, vel Vicarium, aut eorum Confessarium ordinarium, vel alium quemlibet Sacerdotem, ad Prioris dispositionem, ad sacramentalem peccatorum confessionem. Et nullatenus permittatur, ut quispiam ex nostris diutius maneat in lecto, aut cella infirmatus, qui animam à peccatorum sordibus, per salubrem sacramentalis pœnitentiæ medicinam, non expurget quamprimùm.

132. Si, Deo miserante, conualuerint, reddeant quamprimùm ad pristinam consuetudinem, quæ famulos Dei tantò magis decet, quantò minùs

indi-

indigent. Conualuisse autem credendi sunt; cùm id ipsimet asseruerint, si sint personæ probatæ vitæ,& notæ temperantiæ,ad iudicium Prioris; Alioquin, cum à Medico ità fuerit iudicatum, vel cum sinè præsentis valetudinis detrimento, & futuræ infirmitatis periculo anteactæ vitæ officijs poterunt insistere.

133. Si grauentur, aliquis ex prædictis,ad dispositionem vtsuprà, bonis adhortationibus secum agat, vt animam tanquàm ad proprium Conditorem,ac omnium eius bonorum Auctorem citò euolaturam,mūdam,ac expeditā dignè præparet, per diligentissimam proprię conscientiæ, etiam respectu totius anteactæ vitæ discussionem, ac peccatorum confessionem, & sanctissimi Viatici sumptionem, secundum formam in Congregatione nostra vsitatam, & etiàm in Rituali Romano descriptam. Si verò adeò grauentur, vt Medicorum iudicio, de corporali salute parua spes habeatur, tempore opportunò (sensibus tamen adhuc integris) Sanctum extremæ vnctionis Sacramentum eis ministretur per Vicarium,vt communiter,vel per alium ad dispositionem, vtsuprà,& tempore quoque congruò commendetur illis anima secundum formam, vtsuprà. Quę omnia, sicut debent ipsi prius,vt veri Christifideles,ac probi Religiosi optasse,& etiam ore proprio postulasse; ità nunquàm sunt eis differenda, sed habito circà hoc Medici iudicio, quamprimùm, & sinè mora exhibenda.

134. Quandò erunt sacro viatico reficiendi, conuocetur Capitulum de more in Ecclesia,ac Vicarius, vel alius,vtsuprà, superpelliceo cum stola, & Pluuiali indutus, pręcedente Cruce, ac omnibus processionaliter, cum intertortijs, vel luminaribus accensis, ac Acholitis deferentibus aspergesorium, & librum procedat sub Balduchino; deferens sanctissimum Sacramentum in pixide, & reliqua efficiat vt in Rituali Romano. Ad meriti augumentum inducatur infirmus ad petendam hac occasione à Superiore veniam de inobedientijs commissis, & à confratribus de prauis exemplis datis, & ad orandum, vt eum præcipuè in suis precibus commendatum habeant. Ac Superior adhortetur, & imponat, vt non solum id efficiant in orationibus communibus,& ordinarijs, sed etiam vt ad hunc effectum particulares habeantur.

135. Cùm est subministrandum Extremæ vnctionis Sacramentum, congregentur quoque Monachi capitulariter, vtsuprà, ac Vicarius, seù alius, vtsuprà, superpelliceo, & stola indutus, præcedente Cruce sine luminaribus, & Acholitis deferentibus librum,& aspergesorium, procedat cum vasculo Olei sancti,sine Balduchino, ad cellam infirmi, & faciat vt in Rituali. Dum infirmi laborant in extremis, non relinquantur sinè custodia diù, noctùq;. Et si fieri potest, semper assistat aliquis ex Sacerdotibus, qui medijs opportunis eos consoletur, ac inducat ad resistendum fortiter tentationibus, ac ad mortem, & maximos illos dolores pro Christi amore, & in pec-

in peccatorum remifsionem patienter perferendos. Idem efficiant Clerici, deficientibus Sacerdotibus, adiuuentq; eos finguli orationibus opportunis.

136. Poftquàm anima fuerit è corpore egreffa, lauetur corpus per Conuerfos, feù Commiffos acqua calida, vino ac herbis odoriferis admixta, ac induatur tunicella, tunica, fcapulari, & cuculla, fi fuerit Monachus profeffus; vel cappa fi fuerit Nouitius, vel etiam Conuerfus; vel tunica, & mantello, fi Commiffus. Si verò Donatus, more fuo, ac ponatur in fęretro, ibiq; cum cuftodia dimittatur, luminaribus ardendentibus, tempore opportuno, vt in Rituali, fepeliendum.

137. Cum corpus eft fepulturæ tradendum, congregentur quoquè in Ecclefia, vtfuprà, capitulariter Monachi, & Hebdomadario fuperpelliceo cum ftola, & Pluuiali nigri coloris fuperinduto, præcedente Cruce, & toto Capitulo procefsionaliter, & Acholitis cum incenfo, afpergeforio, & libro, procedant ad locum, vbi manet fęretrum cum cadauere, & faciant vt in Rituali. Et fi fieri poteft, & hora id permittat, cantetur fuper ipfum Miffa Conuentualis. Et færetrum deportetur per Monachos cucullatos, fi ipfe erat de numero Monachorum, vel per alios, fi Nouitius, Conuerfus, Commiffus, vel Oblatus, fepeliaturq; cum cuculla, cappa, vel mantello, vtfupra.

138. Libri, veftes, & fuppellex omnis, ad vfum conceffa, dùm viuerent, intelligatur acquifita Monafterio, in quo tempore mortis reperiuntur deputati, ac per Priorem applicētur communibus vfibus illius Monafterij, vel Monachis diftribuātur. Sin verò ipfemet Prior obijerit, difponat de illis Præpofitus Generalis, prout eius prudentiæ, & confcientiæ videbitur. Pecuniæ, fi quæ fortè reperientur, ad vfum conceffæ, intelligantur applicatæ, & ftatim actu ipfo applicentur prædicto Monafterio; Nifi ob euidentem Congregationis necefsitatem, auctoritate Præpofiti Generalis cum affenfu Confultorum, fint communi Depofitariæ applicandæ, quo cafu erunt nihilominus compenfandæ expenfæ omnes in medicinalibus, & alijs, occafione infirmitatis, ac mortis per Monafterium factæ, & illi ftatim integraliter perfoluendæ. Reliqua verò, quæ eorum caufa poffent, aut deberent impofterum in Monafterium prouenire, intelligantur acquiri Monafterio, habita ratione natiuitatis, feù originis, vel filiationis, non afsignationis, nec femper receptionis ad habitū, vel profefsionis, quià nūc in vno, eodemq; Monafterio omnes recipimur, & profitemur, nifi aliter per Prępofitum Generalem cum affenfu, vtfuprà, fuerit fpecialiter indultum. Si autem mortuus fuerit hofpes, feù ex aliena familia, Prior Monafterij in quo difcefsit, difponat de rebus, quæ tempore obitus apud ipfum reperientur. Prior verò Monafterij, cui erat afsignatus, de illis, quę in eius cella, vel Monafterio extabunt. De pecunijs verò, & alijs bonis fiat vtfupra. Sin tandem difcedat Præpofitus ipfe Generalis, difpofitio referuetur Præpofito Generali futuro.

139. Et

139. Et ideò obseruanda est ordinatio facta circà hoc de anno 1605. qua declaratur, eos, qui surripiunt pecunias, vestitus, scripturas, aut quidpiam aliud, quod apud Monachos, vel Fratres, vel in eorum cubiculis, tempore occasus, vel grauis infirmitatis pro eorum vsu reperitur, incurrere pœnam carceris per annum, & priuationem vtriusque vocis perpetuam, immò etiã excommunicationis ipso facto, à qua non possint absolui, nisi à Prępofito Generali, vel ab eo, cui ipse iniunxerit, facta prius restitutione. Nec vlla ad hoc admittatur excusatio, vel quod moribundus antè occasum tempore, quo graui morbo præmebatur, id oretenus ei concesserit, vel donauerit, aut quæuis alia.

140. Et alia facta de anno 1609. qua mandatur Prioribus sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, vt post Monachorum, aut Fratrum propriæ familiæ obitum, quamprimùm Reuerendissimo Præposito Generali notificare teneantur ex integrò pecunias, si quæ apud ipsos reperientur, ad hunc scilicet effectum, vt ipse inuigilare possit, quòd Monasterio, cui debentur, fideliter consignentur.

CAPVT. XV.

Circà Hospitum receptionem, & curam; Ac egressum Monachorum è Monasterio.

141. CVm Hospites ad nostra Monasteria diuerterint, siuè sint ex propria Congregatione, siuè extranei, Ostiarius eis benignè Monasterij ostia adaperiat, intelligatq; personarum qualitatem, & ad quid venerint; & attenta eorum conditione, vel introducat, vel moneat expectare, donec Superiorem de eorum aduentu certiorem faciat. Introducantur deindè, ad mandatum Superioris, siuè per Ostiarium, siuè per eum, qui hospitio præest, siuè per alium, qui sit maioris prętogatiuę, vel etiam per Priorem ipsum, si sint Prelati insignes. Et si sint Religiosi præsertim, prius ad Ecclesiam, ac ibi pace accepta deindè ad hospitium, seù ad Priorem, secundum quod eorum conditio postulabit, deducantur.

142. Si opus erit, erunt eis pedes abluendi, vt communiter priuatim per Cõuersos, vel Commissos, vel si sint Religiosi nostri de longinquo deuotionis causa redeuntes, vel ad nostra Monasteria eadem de causa aduentãtes, etiam publicè, per Hebdomadarium, vel alium ad dispositionem Prioris. Interim verò legatur per Lectorem lectio ex Euangelio Ioannis 13. Amen, Amen Dico vobis, non est seruus maior Domino suo &c. & lotis, tersis, & deosculatis pedibus, dicatur per Hebdomadarium, manentibus omnibus genuflexis, Versus. Saluos fac seruos tuos &c. Domine exaudi orationem meam. &c. Dominus vobiscum. Oremus.

Omnipo-

Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abũdare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Et deindè charitatiuè reficiantur.

143. Si erunt ex propria Congregatione, ſtatim licentiam ſui diſceſſus, & aduentationis à Reuerendiſsimo Præpoſito Generali in ſcriptis obtentam Superiori oſtendere tenentur, vel ſaltem litteras proprij Prioris teſtimoniales exhibere, quæ tamen à Prioribus non concedantur, niſi in caſibus meræ neceſsitatis, & cùm occaſio ſubita tempus recurrendi ad Reuerendiſsimum non permittit. Nullo tamen modò, iuxtà Decretum ab Illuſtriſsimo Cardinale Gallo Protectore ſub die 12. Maij 1610. emanatum, Monachi, ac Fratres noſtri à Monaſterijs noſtris ſunt repellendi, nè publica hoſpitia cum Religionis propriæ dedecore adire cogantur, dummodo non ſint fugitiui, ac monachali habitu induti incedant. Sed ſi ſinè licentia debita venerint, Præpoſito Generali denuncientur, ac ad ipſum remittãtur, iuxtà Ordinis diſciplinam puniendi. Si erunt Priores, ſat erit, vt cauſam ſui aduentus oretenus prædicto Superiori notificent.

144. Prædicta licentia à Reuerendiſsimo vt ſuprà impetranda, intelligatur neceſſaria iuxtà ordinationem factam de anno 1596. & innouatam præſertim de anno 1608. cùm Priores, Monachi, aut Fratres à proprio Monaſterio longius recedere debent pernoctando, aut ad alia eiuſdem Congregationis Monaſteria diuertere; Et tunc fiat in ſcriptis, expreſſo nomine, cognomine, ac conditione Monachi, ſeù Fratris, cui conceditur, & etiam, ſi videatur, cauſa conceſsionis, ac præſcripto tempore reuerſionis; ſubſcribaturq; per Reuerendiſsimum, ac ſigilletur ſolita Congregationis ſigilli impreſsione parua. Poſsit tamen Reuerendiſsimus in quibus caſibus illi videbitur, vices ſuas in hoc Prioribus concedere, & tunc prædicta licentia fiat à Priore. Cum autem Aeconomus, vel alius ad ſui Monaſterij loca occaſione collectionis frugum, vel alia diuertere, aut demorari contingerit, ac etiam ad noſtra Monaſteria in Ciuitatibus conſiſtentia occaſione litium, aut aliorum ſui Monaſterij negotiorum, ſufficiat ſimiliter licentia, aut litteræ teſtimoniales proprij Prioris.

145. Priores, qui ſinè debita licentia à proprio Monaſterio, vt ſuprà, receſſerint, aut aliquos ex ſuis ſubditis recedere permiſerint, ſuſpendantur à Prioratu ad arbitrium Præpoſiti Generalis. Subditi verò, qui ſinè ea diſcedere auſi fuerint, vt fugitiui habeantur, ac puniantur.

146. Si quis ex hoſpitibus aliquod habuerint negotium perficiendum, vel proſequendum, ipſum manifeſtare ſtatim teneatur Superiori, ad cuius Monaſterium diuerterit, vt facultatem, qua ipſum proſequi, & quamprimùm perficere poſsit, ſubminiſtrare valeat.

147. In locis, in quibus, vel propè quæ noſtra Monaſteria degunt, non poſsint Congregationis noſtræ perſonæ, etiam ſi ſint in dignitate conſtitu-

tę,ad publica hoſpitia diuertere, vel quoquo modo extrà Monaſteria hoſpitari,niſi in domibus honeſtorum parentum, vel amicorum de ſpeciali ſuperioris licentia. Et tunc nihilominus quamprimùm ſe præſentare teneātur Priori loci illius,& ei prædictam licentiam exhibere.

148. Priores, qui prædictos hoſpites repellerint,aut in proprijs Monaſterijs non admiſſerint,iuxtà Illuſtriſsimi Protectoris Decretum, ſint ipſo facto ab officio ſuſpenſi. Hoſpites vero,qui aliò,vt ſuprà, diuerterint, ſint priuati voce actiua,& paſsiua per biennium, & prætereà ſi ſint de ſubditorum numero,maneant carcerati per menſem, ac vlterius pro qualitate culpæ,ad arbitrium Reuerendiſsimi.

149. Intelligantur Monachi,ac Fratres noſtri hoſpites ſubiacere omninò auctoritati,& obedientiæ Superioris,in cuius Monaſterio,vel locis vicinioribus degunt,tàm in ſpiritualibus,quàm in temporalibus: Et ideò teneantur & ipſi non egredi de Monaſterio, niſi petita, & accepta benedictione à Superiore ſingulis vicibus in egreſſu,& reuerſione. Et non eant, niſi aſſociati &c. & cùm tempus à negotijs eis vacat,accedant ad Chorum.

150. Hoſpitentur prædicti in Monaſterijs, quantùm negotiorum cōditio poſtulat,& licentia permittit,& ſi ſint de itinere, vt communiter non vlterius, quàm per tres dies,computata die aduentus, & diſceſſus, niſi aliter videatur iuxtà diſcretam ſuperioris prudentiam.

151. Aduenæ in noſtris domibus hoſpitio non inducantur,nec admittantur,niſi de expreſſo Superioris mandato, vel licentia; Et iuxtà ordinationem factam de anno 1582.& ſæpius poſteà innouatam non retineantur,niſi per tres dies.vt ſuprà,computandos,& niſi tales ſint perſonæ, quas eicere ſcandalum foret. Et attenta perſonarum conditione ità tractentur in victu, & alijs,quod potius appareat Religioſæ paupertatis hylaritas, quàm prodiga,& ſuperba bonorum diſpenſatio. Et ſi Prælati ſint,legatur eis in mēſa aliqua lectio ſpiritualis.

152. Non aſſocientur eis,aut eos alloquantur, niſi ij, quibus à Superiore hæc cura eſt demandata,vel de eius licentia; Et cum hoſpitibus ità in omnibus agant,vt de Monaſterio ædificati,& non ſcandelizati recedant.

153. Hoſpitium,ſi fieri poteſt,ſit à Dormitorio, & communi Monachorū habitatione ſeparatum,& pluribus cellis, pro locorum qualitate, opportunè diſtinctum,cum ſuis officinis. In quarum ſingula adſit decens ornatus,alicuius ſcilicet imaginis deuotæ,cum acqua benedicta, & Oratorio,ac ſtratu conuenienti ad dormiēdum,& tabula,ac ſedibus opportunis ad ſedendum.

154. Præficiatur hoſpitio Monachus diſcretus,qui,vt in Statutis,hoſpites benignè,ac hilariter excipiat,commitetur,& curet, vt debita ſeruitutis officia eis opportunè ſuppeditentur; Eiq; aſsignetur Commiſſus, vel Conuerſus,vel etiam,pro locorum qualitate plures ad inſeruiendum, qui in eis,

quæ

quę hoſpitij ſeruitium concernunt, eius auctoritati, & obedientię ſubſint.
155. Nullus iuſtitiæ contumax, aut ſæculari curię ſuſpectus, in noſtris Monaſterijs, vel domibus inducatur, vel recipiatur, niſi de Reuerendiſsimi Patris Generalis licentia, ſub pœna ſuſpenſionis officij ad eius arbitrium. Et caſu, quo ab inſequenti curia ad Eccleſiam, vel Monaſterium confugerent, ac in illis ſe introduerent, ob immunitatem Eccleſiaſticam non repellantur, ſed cùm primùm tutò, & ſublato periculo eis egredi licebit, ad recedēdum inducantur, ac omni arte curetur, vt aliò ſe conferant.

CAPVT. XVI.

Circà habitus decentiam; Ac capillorum diminutionem.

156. EX ordinationibus de anno 1609. Ad habitus noſtri humilitatē, modeſtiam, & decentiam conſeruandam, ſub pœna priuationis vtriuſq; vocis Reuerendiſsimo arbitraria præcipitur, vt nullus audeat nouas formas circà veſtes, & habitum quomodolibet introducere, & introductæ omninò tollantur: Et ideò debent diligenter inuigilare Superiores, nè varientur in forma, nec in materia, & vt tollantur abuſus iàm ſuborti; Et circà formam, vt eorum, qui deferunt tunicas à parte anteriori ſciſſas, ſeù apertas, vel ſeparatas à parte ſuperiori, quas vulgariter tranſuerſas vocant; Vel minùs breues, & anguſtas, aut oblungas nimis, & amplas; Vel deſuper acu perpunctatas, aut alio ornatu excultas. Sed tantùm duabus perpunctaturis ad ſummum ad partem inferiorem, ac collum, & manus munitæ concedantur, nè facilè diſcindantur. Sic Cuculla, & ſcapulare duabus tantùm perpunctaturis, omni alio ornatu amputato, muniantur. Et eorum, qui deferunt veſtimenta interiora adinſtar ſæcularium, vel ſæculari ornatu prędita, vel calceamenta à parte exteriori perpunctata, vel, vt vocāt, ad vſum Franchorum, aut Hiſpanorum; Vel tibialia pro veſtiendis cruribus, ac pileos pro cooperiendo capite ad vſum ſæcularium. Et circà colorem, in quo genere, inhærendo Statutis, & conſuetudini Congregationis, declaramus, quod Cuculla, ſcapulare, biretum, ſicut & cappa pro Nouitijs, & tunica, ac mantellum pro Commiſsis, & guardacorium pro Oblatis, debent eſſe coloris fuſci, ſeu leonati obſcuri. Cœtera verò indumenta, tàm exteriora, quàm interiora ſint vt communiter coloris albi, præter mātellum pro equitando, ac pileum ad contegendum Caput, quæ poſsint eſſe coloris nigri. Quia tamen color albus facilè admodum fœdatur, poſsint cum Superioris diſpenſatione caligæ, & tibialia tantùm eſſe coloris nigri, ſeù leonati obſcuri, quæ diſpenſationes nihilominus nullatenus fiant ergà nouitios, ac iuniores. Et circà materiam, quo in genere vetatur inprimis, nedùm, iuxtà ſacros Canones omne ſericum ſimpliciter, ſed quidquid ex ſerico, & alia ma-

teria eſt commixtum,vel etiam ex ſtamine ſericeo compactum; Et omninò veſtes,& indumenta noſtra ſint ſimpliciter lanea , & non magni prætij, vt non ex raſcia,vel panno Hiſpanenſi,aut ſargia Mediolanenſi magni valoris, ſed iuxtà probatum vſum ſubuculę,ac linteamina, & tunica parua inferior, necnon tunica ſuperior,& Cuculla,ac ſcapulare , & biretum ſint ex ſargia Bergomenſi,Cremonenſi,vel ad ſummum Scotienſi, & non maioris prætij, aut ſubtilioris contexturæ. Indumenta verò inferiora , ac mantellum ad equitandum ex panno Mediolanenſi ordinario, Bergomenſi, Cremonenſi, vel ſimili,aut ex ſargia,vt ſuprà,pro temporum congruētia, ſiuè etiam prędicta interiora indumenta ex pellibus permittantur ordinarijs,noſtris temporibus ob maximam vtilitatem valdè vſitatis,ab extrà tamen abraſis.

157. Sudariola ad ſudorem,& nares tergendum ſint linea , non tamen ornamentis apud extremitates, vel alibi indecenter exculta ; ſicut nec interulæ,nec linteamina,quæ Nouitijs præſertim, ac iunioribus non permittantur ex lino,ſicut nullibi prorſus concedatur;vt apud collum,vel manus quis geſtet euidenter collaria ex lino compacta .

158. Cingulum ſit ex corio albo,hoc eſt ex pelle bouina,bubalina, vel ſimili,non deſuper excultum ; Et ſit ad duos digitos,vel paulò plus latum,ac pertingat in longitudine quaſi ad crura ; Nec ab eius extremitatibus pendeant lamina argentea,vel alterius materię pro indecenti,vel ſuperfluo ornatu . Et claudatur circulo ex oſſe bouino,bubalino,vel ſimili, cuius ſtylus circulo inſerendus ſit ex ferro,vel ære,vel ſimili,ſed nequaquàm ex argento. Cintulæ verò,ſeù Zonę quibus tibialia apud genua cingimus,ſint ex lana,filo,aut bombace ſimpliciter contextæ,& non acu,nec aliqua arte elaboratæ, aut vanè genibus accommodatæ .

159. Pileus verò,ſeù Galerus,quo extrà Monaſterium ad tuendum caput à pluuijs,& ſole nobis vti licet,ſit ex lana more ſolito ad hunc vſum elaborata ; Non nimis eleuatus,ſed depreſſus,& humilis ; Cuius fimbriæ in latitudine æquentur pileo in altitudine;& cingatur ſimplici cordula,non panno aliquo ſubſericeo,vel alio indecenter exculto .

160. Chyrotecis ad manus nullus vtatur,niſi in itinerando , ſub pœna ieiunij in pane, & acqua per diem integram qualibet vice , qua fuerit compræhenſus,ex ordinationibus factis de anno 1559. ac ſæpius repetitis . Et in equitando vtamur de more ocreis itinerarijs,ex pelle bouina,ſeù vitelina leuiori,pro temporum congruentia decenter confectis , & non à lateribus, ſeù à parte ſuperiori apertis ; Ac mantellis ex panno nigro,vel leonato obſcuro vt ſuprà,ad brachia non apertis , ſeù endromide ſimilis coloris ; Et equitemus,ſeù itineremus ſemper humiliter,ſed etiam decenter , ac grauiter,vt proprij inſtituti ratio poſtulat . Nec nos committentur ſerui efrenati,vel efœminati,& ad inſtar militum,vel laſciueſcentiùm iuuenũ induti.

161. Non vtamur pelliceis ex pellibus ſilueſtris effectis,ſed tantùm , de

Prioris

Prioris licentia, (cuius prudentia requirit, vt solùm infirmis, senioribus, ac grauioribus Patribus, vel etiam studiorum vigilijs implicatis permittãtur) ędinis, aut caprinis, ijsq; eadem sargia, qua constant tunicę, cocpertis, & ad extremitates pelles vafrè non emittentibus. Pelliceæ verò, quibus temporibus hyemalibus manus solemus contegere, sint ab extrà quoq; pelle ædina, vel pãno laneo coloris nigri, aut leonati obscuri decenter coopertæ, nec, vt suprà, ad extremitates pelles indecenter præseferrant.

162. Cùm è Monasterio egredimur, in Ciuitatibus, & Oppidis populosis simus semper bini, & cuculati. Nec permittantur mantella, nisi occasione pluuiæ, niuis, & similium. Nec quod quis solus incedat, nisi Aeconomus, cùm necessitas id postulat. Et hæc permissio, habeat tantùm locum in illis Monasterijs, in quibus paruus est Monachorum numerus; cùm enim fieri potest, etiam ipse Aeconomus associatus eat: Quibus quidem Aeconomis solis incedentibus erit permittendum, vt deferant mantellum decens, & oblongum; indecorum enim esset, quod quis solus extrà Monasterium cucullatus incederet. Conuersi verò vtantur, & Commissi mantello, vt in Statutis.

163. Simus etiam cucullati in Choro, & in Ecclesia, vt in Statutis à die festiuitatis Sãctissimi Patris Hieronymi inclusiuè, vsq; ad diem Resurrectionis Domini exclusiuè ad omnes horas, præterquàm ad Sextam, Nonam, & Completorium; Et hoc intelligatur in Monasterijs, vbi ob sufficientem Monachorum numerum vigere potest strictior obseruantia. Nouitij verò tùnc defferant cappas, & Conuersi, sicut Commissi mantellos. Et ab hoc nulli excludantur, nec etiam Priores, aut Officiales Monasterij. Similiter cùm conciones, aut alias actiones publicas in Ecclesia habemus, superinduamur Cuculla, & non alio habitu.

164. Monachorum cellæ sint decenter, ac humiliter ornatæ, scilicet lecto cum lectica lignea, stramine paleo, anaclyterio laneo, capitali laneo, seù plumeo, ladicibus non excultis; & culcitrà lanea, vel ex bombice, Oratorio cũ vasculo acquæ benedictæ, mensa, sedibus opportunis, & aliquibus imaginibus decentibus Sanctorum.

165. Prohibentur coclearia argentea, vel ex alio metallo inaurata, vel deargentata. Gladij quoq; ipsi pro vsu mensæ sint decentes, & modesti; Et in longitudine eorum lamina non excedant palmum, nec longiores permittantur qualibet occasione. Et tandem cuncta spectantia propriæ personæ vestitum, ac cellarum ornatum sint decentia, humilia, ac in eis omnis euitetur luxus, & sæcularis ornatus, solaq; vtilitas, & necessitas attendatur. Et circà huiusmodi perquirant diligenter Superiores, ac rigorosos se præbeãt, transgressores debitis pœnis, pro excessuum qualitate, ad eorum iudicium, plectentes.

166. Vestimenta, & calceamenta, quæ quotannis solent Monasteria Mo-

nachis,

nachis, & Fratribus pro Vestiario, vt dici solet, subministrare, teneantur Priores ea actu subministrasse saltem antè festiuitatem Omnium Sanctorũ. Et si Monasteria non habent pecunias numeratas, quibus ea actualiter exsoluere possint, teneantur Prior, & Aeconomus mercatores adinuenire, qui ea pecunia expectata concedant, vt superueniente hyeme qui indigent, à frigoribus debitè se præmunire possint.

167. Pro Vestiario exhibeantur singulo Monacho, & Fratri, iuxtà Congregationis consuetudinem, tot vestes, seù indumenta, quæ coemantur duodecim numis aureis, monetæ Mediolanensis efficientibus lib. 72. Imperiales, & tot calceamenta, quę coemantur duobus numis, vt suprà, aureis, computata emptione, & eorum pro tempore cõsutione, seù restauratione. Et quamuis communior vsus sit, vt pro singulo occasione vestiarij innouetur tunica ordinaria, scapulare cum bireto, & dentur duo brachia cum dimidio panni Mediolanensis pro caligis, & tibialibus efficiendis, cum suis fodraturis oppottunis, & brachia quinq; sargię Scotientis minoris pro tunicella, vel alijs vsibus, cum cęteris necessarijs ad consuendum, & perficiendum. Tamẽ discreti erit Superioris permittere, vt quandoq; etiam cuculla, mantellum, & alia innouentur, prædictis postpositis, pro Monachorum maiori indigentia.

168. Teneantur etiam Monasteria subministrare pro vestibus, ac pannis laneis expurgandis saponem, & ad minùs octo libras minores pro singulo quolibet anno, & exsoluere etiam consutiones vestium, ac indumentorum occasione vestiarij exhibitorum, & etiam restaurationes, & resarctiones eorum, saltem vbi Monasteria sunt ditiora, & iàm inoleuit vsus.

169. Pro Vestiario, ex ordinationibus sępè innouatis, prohibetur Prioribus sub pœna Reuerendissimo arbitraria, pecunias erogare, sed teneantur sola vestimenta subministrare; Sicut etiam Monachis, & Fratribus prorsus inhibetur vestes, & indumenta occasione Vestiarij accepta, sinè speciali Superioris licentia, vendere, aut commutare.

170. Teneantur quoq; Superiores singulo anno resarcire, vel etiam innouare suppellectilia communia Monasterij, vt paramenta, calices, libros, & alia pro vsu Ecclesiæ, Chori, & Sacrastiæ. Lodices, culcitras, lectisternia, mappas, & cętera pro vsu communis dormitorij, hospitij, valetudinarij, & Refectorij; Necnon instrumenta necessaria pro vsu Coquinæ, Cellæ vinariæ, & aliorum, & hæc saltem ad quantitatem singulis Monasterijs iàm taxatã, ac etiam maiorem, si necessitas, vel decentia postulabit, & Monasteriorum redditus sufficient.

171. Sit etiam in Monasterijs particularis assignatus locus pro communi Vestiario, in quo reponantur suppellectilia omnia communibus vsibus applicata, & etiam quę ad particulares vsus conceduntur, tempore, quò à Monachis in vsu non habentur; Cuius cura per Priorem alicui dili-

genti

genti Monacho committatur, vnà cum Conuerso, seù Commisso sibi subiecto, ad ea custodienda, excutienda, purganda, & debitis temporibus distribuenda.

172. Ad Monasticæ vitæ honestatem pertinet etiam modesta, ac humilis capillorum delatio; & ideò Ordinationi præsertim de anno 1600. innouatæ inhærentes, mandamus Patribus Prioribus, sub pœna Reuerendissimo arbitraria, vt saltem singulo mense Monachos, & Fratres in eorum Monasterijs degentes abradendos, vel sub forfice tundendos (quòd tamen solis Sacerdotibus permittatur) curent, iuxtà formam ex Statutis declaratam; Nec alicui, exceptis Conuersis, vt in Statutis, liceat barbis oblongis vti, inflexis, vel capillis inæqualibus, aut quouis alio modo indecenter accomodatis, sub pœna Prioribus, vel Reuerendissimo arbitraria.

CAPVT XVII.

Circà Capitulum Generale. Et primò circà tempus, & locum, in quibus est celebrandum, & de personis ad ipsum conueniendis.

173. OBseruetur tempus ex Statutis præscriptum, nedùm celebrandi Capitulum Generale tantùm de triennio in triennium, & Dietã singulo anno, sed etiam ipsa inchoandi; Vt scilicet incipiantur feria secunda immediatè consequente ad tertiam Dominicam post Pascha Resurrectionis, & prosequendi, ac terminandi, vt scilicet Capitulũ Generale continuetur vt communiter vsque ad feriam secundam hebdomadę sequentis, ac vlterius, si negotiorum cumulus, vel difficultas postulabit, & Dieta secundum communem vsum per tres dies continuos. Et quamuis sit in potestate Præpositi Generalis cum cõsilio, & assensu Consultorum, tempus huiusmodi aliqua vrgenti de causa differre, & etiam præripere; non fiat tamen, nisi causa sit verè cogens, & necessaria, vt aliqua ex specificatis in Statutis, aut omninò similis.

174. Cùm ergò tempus prædictum sit à lege determinatum, non sunt Priores, cœteriq; vocales ad Capitulum per litteras, aut internuncia à Præposito Generali conuocandi, nec Consultores ad Dietam, sed opportuno tempore, per totam scilicet Dominicam tertiam post Pascha Resurrectionis, quilibet eorum debet personaliter adesse in Domo, seù Monasterio, in quo habendum est Capitulum, vel Dieta. Si tamen legitimo impedimento detenti post inchoatum Capitulum superuenerint, admittantur deinceps; sed actus eòusq; sinè eorum præsentia præstiti, sint validi, nec vllo pacto ob absentiam retractentur. Sin autem fortè contingat, Capituli, aut Dietæ celebrandæ, vt prędicitur, & non aliter, tempus differre, aut præripere, tunc Præpositus ipse teneatur debito tempore per litteras à parti-

cularibus.

cularibus internuncijs transmissas, singulos Monasteriorum Superiores de huiusmodi dilatione, seù preoccupatione certos reddere; & eisdem simul iniungere, vt vocales in proprijs Monasterijs assignatos de hoc admonitos faciant,& tempore denuò prefixo vnà cum eis in Monasterio prædicto personaliter adsint; quarum quidem litterarum Prepositus particulares respōsiones sibi dari, & transmitti singulis Prioribus iubeat, ac eas apud se seruandas curet, si opus fuerit, pro sui iustificatione exhibendas.

175. Locus quoque celebrandi subsequens Capitulum generale per Decretum Capituli generalis; seù Definitorij edictus, aut præscriptus, non varietur,nisi aliqua de causa verè vrgente, & necessaria approbanda per Præpositum Generalem cum consensu Consultorum, vt aliqua ex enarratis in Statutis, vel alia verè simili. Et eò casu teneatur Præpositus Superiores tempestiuè admonere, vtsuprà, & eis locum de nouo electum inthimare,& litteras responsiuas, vtsuprà, conseruare.

176. Præter vocales in Statutis singulariter enarratos, nullus ad Capitulum generale accedere audeat, nisi à Definitorio vocatus, vel de eius mandato, seù licentia in scriptis obtenta, aut Præpositi Generalis. Quę non concedatur, nisi ob seruitium Capituli, aut alia verè vrgente de causa. Quòd si quis sinè huiusmodi licentia præsumpserit accedere, non audiatur, sed auctoritate Definitorij subdatur pœnitentię culpæ grauioris in eodem Monasterio, in quo habetur Capitulum generale,in aliorum ædificationem sustinendæ, ac statim remittatur ad Monasterium,à quo discessit, deputatus per bimestre ad carceres formales, ac priuatus vtraque voce per biennium. Qui verò aliqua habent in Capitulo generali, vel Definitorio proponēda,supplicanda, denuncianda &c.id efficiant per Procuratorē proprij Monasterij pro Capitulo Generali electum, vel per proprium Priorem.

177. Vocales, qui legitimis, & necessarijs impedimentis, vt infirmitatis &c. detenti, ad Capitulum accedere non valebunt, per litteras Definitorio directas; ac Procuratori, vel Priori proprij Monasterij consignatas, causam legitimi impedimenti particulariter exprimentes se excusabunt. Et si sint Priores,mittant etiam sui Prioratus renunciationem, & si sint Visitatores, suę visitationis relationem, vt in Statutis.

178. Si in aliquo Monasterio, occasione electionis Procuratoris pro Capitulo Generali, inter aliquos suborta erit difficultas, & dubitetur rationabiliter, quisnam eorum sit legitimè electus, poterit huiusmodi discordia antè Capitulum Generale per Præpositum Generalem cum consilio, & assensu Consultorum terminari,& definiri,auditis partibus, ac deductis earum rationibus. Quod si antè Capitulum Generale non fuerit definita,accedent prætendentes ad locum Capituli (nisi tamen quis eorum spontè renunciaret,vel recusaret,) & ibidem, antequàm ad electiones deueniatur, per eundem Præpositum cum Definitoribus Capituli præteriti terminetur,

& definiatur; Et qui adiudicatus fuerit non benè electus, statim de loco Capituli licentietur, ad proprium Monasterium reuersurus, Ac si vtrorũq; electiones adiudicatę fuerint inualidæ, vtriq; vt suprà, recedant.

179. Vocales omnes deducantur ad Capitulum sumptibus illius Monasterij; cui antè Capitulum sunt assignati; Et ideò teneatur quilibet Prior sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, eis opportunè prouidere de equitaturis, & expensis itinerarijs. Debebunt tamen vocales, quantùm fieri poterit, sumptibus parcere, & suo Priori associati ad Capitulũ accedere.

CAPVT XVIII.

De electione Procuratoris, seù Discreti pro Capitulo Generali in vnoquoq; Monasterio facienda; ac de eius officio.

180. ELectio Discreti, vel Conuentualis, seù Procuratoris, nomine totius Conuentus ad Capitulum Generale transmittendi, in singulo Congregationis nostræ Monasterio facienda, fiat secundum morem longo iàm vsu probatum, hoc videlicet modo. Dominica Septuagessimæ anni, quò celebrandum erit Capitulum Generale, post Nonam de mandato Prioris, ad sonum campanulæ, congregentur in loco capitulari omnes Monachi, in tali electione, vt infrà, vocem habentes, ac per Priorem adhortentur ad electionem pro tali munere de probo, sufficienti, & idoneo Monacho, cui præsertim bonum Congregationis commune, ac Monasterij inhæreat cordi, ex conscientia, & sinè personarum acceptatione faciendam; Aç iubeat Vicario, vt inuigilet, ac diligenter intendat, nè electio ipsa in aliquo vitietur; Et occasione discordiæ, quæ per ipsum, & eius cõsilio, & opera sedari non posset, Priorem admonitum faciat. Et sic, nè electio ob Prioris præsentiam fortè suspecta reddatur, ipse de Capitulo recedat. Sin autẽ causa exigente, per Vicarium fuerit, vt suprà, admonitus; licebit ei, immò tenebitur ex officio, iterum Capitulum adire, omnemq; operam impendere, vt tales discordię concilientur; vtens alioquin propria auctoritate contra litigiosos, ac contumaces, & eos debitis pœnis in viam rationis redigẽs; Et ad futuras discordias euitandos, tali casu poterit toti electioni interesse. Absente Priore, statim supernum Sancti Spiritus auxilium flexis genibus deuotè implorent, dicentes alternatim per Choros hymnum. Veni creator Spiritus &c. Et in fine Vicarius dicat.

℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cũm spiritu tuo.

P Oremus.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Omnipotens sempiterne Deus dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti Filij tui mereamur bonis operibus abundare.

Adsit, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Christũ &c. ℞. Amẽ.

Deindè cunctis per ordinem sedentibus præmittantur, quæ iam in vsu sunt, vt præcedant quascunq; electiones faciendas, scilicet perlegatur per aliquem à Vicario delegendum caput sextum sessionis 25. Concilij Tridentini de electionibus, necnon caput istud numero. 184. vbi agit de vocem habentibus in hac electione, & tandem iurent electores ad eorum conscientias, se magis idoneum esse electuros. Et quoniam electio huiusmodi est secundum formam scrutinij iàm vsitatam facienda, habeantur in promptu per aliquem Monachum fidelem, & prouidum, tot folia (in quorum singulo sint per ordinem singulorum eligibilium nomina, propria eiusdem Monachi manu exarata) quot sunt numero electores, ac ea numeratim consignet Vicario, qui assumptis secum alijs duobus de Capitulo senioribus, vel dignioribus, simul cum eis distribuat prædicta folia, discindendo tamen, vel distrahendo semper proprium electoris nomen. Admoneat deindè Vicarius, duos scrutatores pro proxima Procuratoris electione esse simul deligendos; ob idq; vnumquemq; ex proprio folio duorum nomina sibi magìs pro tali munere probatorum debere abscindere; Quod efficiat separatim, ità tamen vt possint à Vicario, & prædictis duobus videri. Abstractis, ac pręparatis omnibus schedulis, habeatur super tabulam antè Vicarium, & prędictos vrna desuper cooperta, ac vocati per Vicarium ex ordine singuli electores, accedant sigillatim, & immittat quilibet in vrna duas à se delectas schedulas. Inuigilet tamen Vicarius, & digniores prædicti, nè immittantur plures, seù pauciores. Et completa immissione, per præfatos ad præsentiam omnium educantur, ac enumerentur schedulæ, vt appareat, an numerus earum correspondeat proportionatim numero eligentium, ac si conueniant, aperiantur, & duo illi, qui reperti fuerint plura habuisse fauorabilia suffragia, intelligantur, sint, ac publicentur in scrutatores electi, etiã si fauorabilium suffragiorum numerus non excedat duas ex tribus eligentiũ partibus. Scrutatores verò, vt prædicitur, electi statim ad locum superiorem ascendant, ac per eundem Monachum, vt suprà, eis totidem folia ad numerum electorum exhibeantur distribuẽda, & detracto per singulos nomine illius, quem maluerint in Procuratorem eligere, ac immissis ex ordine schedulis in vrna, extractisq;, calculatis, & apertis, qui plures adinuenietur recepisse fauorabiles, etiamsi, vt suprà, ex tribus partibus duas eligentium non superent, ille erit in Procuratorem electus, ac publicandus. Debebunt

autem

autem diligenter attendere ſcrutatores, vt à ſingulo ſingula tantùm immittatur ſchedula, aut ne mutuò electores ſchedulas commutent, vel quiſpiam nullam immittat, & tandem nè fraus quæuis committatur; Et ideò ſchedulæ nedùm erunt ad eorum præſentiam, vt ſuprà, & ipſis benè cernentibus, immitendæ, ſed etiam ab eis, ſi videbitur, præ manibus accipiendæ; & explicandæ, & quatenus de dolo dubitetur, etiam perlegendæ; Non enim inualidatur electio, aut cenſetur non per vota ſecreta facta, cum ſolis ſcrutatoribus innoteſcunt eligentium, vel eligendorũ nomina, immo hac de cauſa appellantur Scrutatores, & Compromiſſarij. Si verò committeretur fraus, aut dolus in hoc electionis modo (qui tamen poſt diuerſos alios, multis abhinc retroactis annis, vt magis approbatus, & ſecurus, & in quo maximè electio apparet ſecreta, eſt in Congregatione introductus) ità vt per tres vices repetitas nunquàm poſſent electores conuenire, liceret ſcrutatoribus ſingulorum voluntates, circà electionem ſeparatim ſcrutari, & vota ab eis oretenus explicata ſcribere, & eum, qui plura habuiſſet propitia, in Procuratorem eligere. Sicut tandèm, ſi per longum temporis ſpatium, vt per ſex horas, vel circà nullo pacto cõuenirent, liceret per ipſum Capitulum eligere ex vocalibus prædictis duos, aut tres, in quos omnem electionem compromitterent, ità vt qui ab eis eligeretur, eſſet Procurator legitimè electus. Quæ etiã declaramus locum habere in omnibus alijs electionibus per ſcrutinium faciendis. Publicetur autem Procurator, vt prædicitur, electus hoc modo. Antiquior ſecundum profeſsionem ex ſcrutatoribus exurgat, & alta, ac intelligibili voce dicat. Ego D. N. de tali loco, Scrutator, & Compromiſſarius pro electione faciẽda Procuratoris ad Capitulum noſtrũ Generale proximè celebrandum, nomine iſtius Monaſterij Sancti N. tranſmittendi, cum ſocio meo D. N. electus, auctoritate per iſtud Capitulum mihi, & prædicto ſocio meo tradita, & per prædictum ſocium meum, & ex iure vſo, & conſuetudine mihi ſpecialiter conceſſa, nomine prædicti ſocij mei, & meo, ac totius Capituli noſtri, nomino, eligo, declaro, & pronuncio in Procuratorem præfati noſtri Monaſterij, ad effectum, de quo ſuprà, D. N. de tali loco. Et ſtatim de capitulo vnanimiter recedant, ac annuncient Priori, gratias ſimul Deo agentes.

181. Procuratores verò in ſingulo Monaſterio ſic electi, Capitulo Generali tempore opportuno cum ſuis litteris patentibus, eorum electioni atteſtantibus, ſe præſentare tenentur, quas ad vnitatem ſeruandam volumus eſſe infraſcripti exempli.

182. *Admodum Reuerendis in Chriſto Patribus Definitoribus, pro Capitulo Generali Congregationis noſtræ Monachorum Eremitarum Diui Hieronymi proximo tempore celebrando, in Monaſterio. N. congregatis, veram in Do-*

mino obedientiam, ac reuerentiam, cunctisq; has nostras inspecturis pacem, & charitatem &c.

Notum facimus, & attestamur nos infrascripti Monachi vocales Monasterij, N. ad quos ex Statutis, & Ordinationibus nostris, & ex consuetudine spectat infrascripta Procuratoris electio, qualiter die mensis & anni quæ fuit dies Dominica Septuagesimæ, capitulariter in loco solito congregati, iuxtà formam à Sacro Concilio Tridentino, & nostris Constitutionibus præscriptam, & seruatis seruandis canonicè, ac ritè ellegimus, ac assumpsimus in nostrum, ac Monasterij, & Capituli præfati certum, & specialem Procuratorem, pro futuro proximo Capitulo Generali nostro, D. N. de tali loco Sacerdotem &c. ad omnia videlicet agenda, proponenda, & tractanda, quæ occasione prædicti Capituli Generalis, ab huiusmodi Monasteriorum Procuratoribus de iure, vel consuetudine agi, proponi, & tractari possunt, vel consueuerunt, & specialiter ad votandum nomine prædicti nostri Capituli in electione Patrum Definitorũ, & Reuerendissimi Patris Generalis, & ad alia quæcunq;, vt suprà, &c. In quorum fidem, & testimonium præsentibus de consensu, & mandato prædicti Capituli confectis manibus proprijs subscripsimus, easq; sigillo maiori Monasterij nostri obsignari voluimus. Dat. in præfato Monasterio N. die, mense, & anno suprascriptis. Et subscribantur singulariter per omnes Capitulares, præter electum, secundum ordinem gradus, vel professionis hunc in modũ. Ego D. N. de tali loco, qui prædictę electioni interfui, affirmo, vt suprà.

183. Prædicta Procuratoris electio facienda est in singulo Congregationis nostræ Monasterio omninò, ac præcisè die ipso Septuagesimę anni, quo celebrandum est Capitulum Generale, ex ordinatione facta de anno 1571. & consuetudine deinceps sinè intermissione obseruata; ità quòd nisi fiat ea die, nulla sit prorsus, & irrita ex ordinationibus de anno 1584. Caueãt propterea Priores sub pœna priuationis actiuæ, & passiuæ vocis, in futuro proximo Capitulo Generali irremissibiliter incurrendæ, nè malitiosè, aut etiam ex negligentia dictam electionem impediant, vel retardent, vt non conuocando Capitulum tempore opportuno, aut discordias disseminando, aut similia præstando; Et ideò ex ordinationibus de anno 1608. tenentur etiam Monachos à Monasterio absentes, in tali electione vocem habentes, litteris per internuncios speciales adhunc effectum illis transmissis cõuocare, & de conuocatione fidem apud se conseruare.

184. Vocem habeant actiuam in tali electione tantùm Monachi professi, in sacris constituti, & tali Monasterio per obedientiam Capituli Generalis, vel Præpositi Generalis assignati, dummodo annum ab emissione eorum professionis completum transfigerint; Et prædicta assignatio, ad euitandam omnem suspitionem, saltem per menses sex antè prædictum electionis tempus, sit facta; Et alias inhabiles non sint ipso iure, vel per senten-

tiam declarati. Vocem verò pasſiuam habeant ſolùm Sacerdotes. Eligantur etiam,& eligant ſolùm præſentes, hoc eſt,qui Capitulo, & electioni prædictæ perſonaliter interſunt,& nequaquàm abſentes, etiam ſi in eodem Monaſterio reperientur.

185. Caueant etiam omnes ſub pœna priuationis vocis actiuæ,& pasſiuę, ac omnium officiorum,ac inhabilitatis,ad ea impoſterū, ex ordinat. 1559. & 1568. ab omnibus conuenticulis,pactionibus,& practicis directè, vel indirectè ſuper huiuſmodi electione,vel quacunq; alia faciendis, & ex Concilio Tridentino ſeſſ.25.cap. 6. vniuerſaliter ab omni directa, vel indirecta ſuffragiorum procuratione; Inhærentes tamen declarationi Greg. XIII. atteſtamur,non comprehendi eos,qui non ambitus, aut alterius prauæ intentionis gratia,ſed ob bonum commune Congregationis, & ad bonum finem, de inſufficientia, aut idoneitate eligendorum inter ſe conferunt, aut conſulunt.

186. Deferant ad Capitulum Generale Procuratores litteras ſuas patentes, Definitoribus præſentandas,& per eos examinandas, & vt infrà approbandas; Necnon proprij Monaſterij ſigillum,& etiam inuentaria pecuniarum,creditorum,debitorum,& ſuppellectilium Monaſterij, eis à Prioribus ad talem effectum ſub pœna, vt infrà,ſubminiſtranda.

187. Eorum etiam munus erit,quæcunq; pro communi proprij Monaſterij vtilitate,ac honore ſibi occurrunt proponenda,vel à Monacis,etiam pro proprio intereſſe,fuerint ſubminiſtrata, Definitorio fideliter exponere. Habebunt igitur prędictorum omnium memoriam in quadam cedula ex ordine digeſtam,& litteras per Monachos conſignatas,& iuxtà eam cuncta,nihil addito, vel immutato exponent, ac litteras fideliter tempore opportuno,ideſt cum ad Definitorium fuerint accerſiti, præſentabunt.

CAPVT XIX.

De efficiendis per Priores, antequàm à proprijs Monaſterijs diſcedant, ad Capitulum Generale acceſſuri.

188. POſt Procuratoris electionem dabit operam Prior, vt quāprimùm fideliter,& diligenter fiant Inuentaria Capitulo Generali,vt prędicitur,præſentanda. Et primum quidem, vt per Monachum, cui librorū magiſtralium Monaſterij cura eſt demandata,extrahatur fideliter,& ſincerè nota ſingulorum debitorum, & creditorum,quæ eo tempore Monaſterio ſuperſunt,ac tàm credita,quàm debita in ſummam redigantur, & demùm calculentur,ac ſupputentur,vt appareat,an, & quomodo hæc illa, vel viceuerſa excedant. Quæ nota ſecundum eundem ordinem referatur in libellū Inuentariorum. Deindè ad Prioris,& Capſeriorum præſentiam enumerētur

tur pecuniæ omnes Monasterij in arca communi tunc existentes, ac earum quantitas, & etiam res aliæ praciosę, si quæ forte in Monasterio asseruātur, in libello prædicto describātur. Et circa hęc inuigilet accuratissimè Prior, si enim Definitorio non exhibebitur fidelis, & omninò sincera extractio, & annotatio, vt suprà, nil pœnitus addito, vel subtracto, ex ordinationibus de anno 1579. deinceps semper confirmatis, incurret ipse pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ.

189. Dabit etiam operam, vt præsente Oeconomo, vel alio Monacho ad id ab ipso deputato, fiant sigillatim, & fideliter Inuentaria vini, frumenti, & aliorum comestibilium, necnon suppellectilium, & rerum omnium deputatarum in vsum Sacrestiæ, Dormitorij, Refectorij, Valetudinarij, Promptuarij, Coquinę, Cellæ vinariæ, & aliarum officinarum, & etiam librorum pro seruitio Chori, communis Bibliotecę, & aliorum. Et prædicta Inuentaria sint subscripta proprijs manibus, & nominibus eorum, qui talibus officinis præsunt, vel sub quorum custodia res huiusmodi asseruantur.

190. Sint prædicta Inuentaria duplicata, vt vnà copia Procuratori Definitorio, vt prædicitur, præsentanda detur, & alia apud Priorem maneat, dimittenda Monacho in Superiorem tempore celebrationis Capituli Generalis præficiendo.

191. Inuentaria ex ordinatione de anno 1611. post Generale Capitulum non deperdantur, aut vllo modo perire permittantur, sed in singulo Monasterio adsit libellus particularis, in quo secundum temporum, & Capitulorum successum describantur, isq; apud Priorem asseruetur, ad omnem nutū Patris Generalis, aut Visitatorum exhibendus, sub pœna Prioribus priuationis officij, ad arbitrium Reuerendissimi.

192. Teneatur etiam quilibet Prior, ex ordinat. de anno 1582. & 1596. sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, etiam si denuò esset in Priorem electus, saltem per octiduum, antequàm ad Generale Capitulum se præsentet, integram rationem toti Monachorum suorum Conuentui de creditis, debitis, & expensis capitulariter reddere, & cedulam superindè conscriptam, & ab omnibus capitularibus Monachis subscriptam secum deferre, & illam Capitulo Generali, seù Definitorio pręsentare.

193. Antequàm Prior à proprio Monasterio discedat, ad Capitulum accessurus, congregatis capitulariter omnibus Monachis, & Fratribus, instituat, vt communiter, Vicarium, vel, si dignis de causis aliter ei videatur, aliū eius loco, in Monasterij Superiorem, cui consignari iubeat prædictam Inuentariorum copiam, ac res omnes in ea descriptas, præter eas, quæ eòusq; fuerint vsu absumptæ, quarum tamen quantitatem in fine prædictorum Inuentariorum describi volumus, vt Monachus prędictus post terminatum Capitulum, superueniente Priore, & Officialibus de nouo electis, possit cuncta fideliter eis resignare, & de quantitate tempore Capituli consumpta apud

eos

eos se iustificare. Adhorteturq; vt in pace, charitate, ac Monastica obseruantia viuant, & pro bona Capituli Generalis directione, eiusq; fœlici, ac prospero euentu assiduas preces in generali, & particulari ad Deum fundant. Et sic eos in pace dimittat.

CAPVT XX.

De Orationibus in Congregatione pro bona Capituli Generalis directione efficiendis.

194. IN quolibet Monasterio diebus singulis, quibus Generale Capitulum celebratur, dicatur post Primam Missa de Spiritu sancto pro bona Capituli directione, ac illius fęlici euētu, nisi superueniat festus dies; ac in alijs Missis, si per Rubricas Missalis Romani admittitur, fiat commemoratio de Spiritu sancto, dicanturq; in Choro post Completorium solitæ Litaniarum preces, ac vt suprà, in communibus, & priuatis orationibus fiat de hoc frequens, & deuota memoria.

195. In Monasterio verò, in quo Generale Capitulum habetur, cantetur in principio Capituli solemniter Missa de Spiritu sancto, necnon die Iouis, antè Præpositi Generalis electionem, & in fine, ad gratias agendas, Missa de Sanctissima Trinitate. Alijs verò diebus singulis, antequàm capitulariter congregentur, dicatur quoq; Missa capitularis de Spiritu sancto. Et solemnioribus Missis interueniant omnes de Capitulo, alijs verò saltem omnes Definitores vnitè. Diebus verò festiuis omnes Sacerdotes, & feriatis etiā (necessariò cessante impedimento) ad eundem finem Sanctissimum Missæ Sacrificium Omnipotenti Deo offerant. Ac etiam capitulares omnes, nisi actu actionibus capitularibus sint implicati, horis Canonicis, & præsertim Vespertinis, & Missæ conuentuali in Choro intersint.

195. Si etiam Superioribus videatur, vt hoc tempore orationes quadraginta horarum, ad prædictum effectum, cum expositione Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti habeantur, vel particularis aliqua indulgentia à Summis Pontificibus ad hoc sit impetrata, hoc & approbamus, & quantùm cùm Domino possumus, adhortamur; dùm Sanctissimo Sacramento exposito saltem duo Monachi semper deuotè assistant, & cùm exponitur, ac amouetur, omnes, vel ad minus nnmerosa quantitas, pro solitis ritibus solemniter conueniat.



CAPVT

CAPVT XXI.

De Scriba, seù Cancellario Capituli Generalis, ac Reuerendissimi Præpositi Generalis, & de pertinentibus ad eius officium.

197. Eligatur, ac assumatur à Reuerendissimo Præposito Generali, & Definitoribus prędictis in Scribam, & Cancellariũ Capituli Generalis Monachus aliquis, qui tamen sit saltem in ordine Sacerdotali constitutus, probatusq; vita, ac moribus, ac litteris sufficienter peritus, & maximè in tali munere versatus. Et nè negotia tanti momenti plurium fidei cum periculo committantur, eligatur, vt communiter, qui Cancellarij munere apud Reuerendissimum fungitur.

198. Is cunctas actiones capitulares in libro particulari actitet, & ex ordine describat, ac cum opus erit, scripturas extrahat, & ex authentico efformet. Eius autem scripturis vbiq; & priuatim, & publicè, in iudicio, & extrà ab omnibus, ex nostris priuilegijs, & inueterata consuetudine, certam, & indubiam fidem haberi volumus.

199. Habeatur ad hunc effectum liber particularis, qui inscribatur liber actuum capitularium, in quo per Scribam annotentur secundum ordinem dierum, ac sessionum singuli actus, qui in Capitulis Generalibus tàm per totum corpus Capituli, quàm per Definitores fiunt. In eodem libro describantur quoq; ex ordine, vt suprà, singuli actus Congregationũ annualium, seù Dietarum, secundum ordinem annorum, dierum, & sessionum, vt suprà. Consignetur hic liber Scribæ pro Capitulo Generali electo initio Capituli; & apud ipsum maneat, si ità videatur Rectori Capituli, seù Pręposito, toto tempore Capituli, & deinceps apud Præpositum, vt possit subsequenti Dieta, vel Capitulo, & alias, quotiescunq; fuerit opus, haberi in promptu.

200. Habeatur alius liber, quem appellamus Registrum Congregationis; In quo referantur; & annotentur semper iuxtà successionem temporum, Cartæ capitulares, continentes ordinationes, electiones officialium, & Monachorum, ac Fratrum assignationes. Electiones item Priorum, ac aliorũ officialium, si quas medio tempore per Consultorium fieri contigerit, occasione obitus, vel Regularis amotionis. Copiæ Bullarum, Breuium, ac Decretorum Pontificium, vel aliorum spectantium ad Congregationem. Copiæ litterarum benefactoriarum, ac Decretorum fauorabilium, vel condemnationum per Definitorium, vel Consultorium factarum, & quæcunq; alia præcipua; Ac iste semper seruetur apud Prępositum Generalem pro tempore existentem, & facta eius noua electione, vna cum sigillo Congregationis ei consignetur.

201. Habeat etiam Præpositus Generalis particularem librum, in quo per eius Cancellarium describi faciat, & registrari quæcunq; præcipua occasione

casione sui officij per eum fieri continget, aut saltem breuem eorum memoriam cum conditionibus insertis, quem apud se custodiat, vt ad omnem euentum, possit eorum memoriam habere.

202. Habeat quoq; alium librum, in quo registrari faciat omnes actus causarum occasione sui officij, vel ad condemnationem, vel ad absolutionem effectarum.

203. Habeatur quoq; libellus alius, in quo conscribantur instrumenta professionum per Monachos, & Fratres emissarum, cum opportunis subscriptionibus, qui semper maneat in Monasterio Nouitiatus.

204. Habeatur quoq; libellus, in quo annotentur nomina omnium Monachorum morte decedentium, vel qui à Congregatione quomodolibet separantur secundum successiones temporum, exprimendo nomen, cognomē, patriam, conditionem, & Monasterium, in quo discessit. Et in eodem libello, ab alia parte annotentur quoq; nomina omnium in Congregatione viuentium, & successiuè ad eam accedentium, exprimendo, vt suprà, & hic seruetur semper apud Præpositum Generalem.

205. In singulis etiam Monasterijs habeantur duo libri, in quorum vno annotentur, si fieri potest, ex autentico omnia instrumenta, quæ pro tempore fiunt, spectantia ad Monasterium, vel saltem eorum copię, vel tandem ad minus eorum memoriam, cum nominibus Notariorum, qui ea actitauerūt, diei, mensis, & anni, quibus fuerunt actitata &c. & aliter, in quo fiat memoria omnium præcipuorū, quæ per Capitulum Monasterij fuerint definita, per Monachum aliquem ad hoc à Priore deputandum. Et primus maneat semper in Monasterio cum alijs scripturis ad ipsum pertinētibus. Ac Prioris curæ sit, vt prædicta instrumenta registrentur. Alius verò pœnes Priorē, vt illi inseruiat tantùm ad memoriam.

206. Possit Præpositus Generalis, etiam extrà tempus celebrationis Capituli Generalis, Monachum in Scribam, vt prædicitur, eligere, & assumere, cum simili auctoritate, & fide, qui sibi assistat. Sic Visitatores occasione visitationis, & non aliter, quamuis tutius sit, vt visitator minor, iuxtà probatam Congregationis consuetudinem, tali fungatur munere. Sic Priores occasione alicuius causæ ad offensam, vel defensam agitandæ, vel alterius cuiusuis actus publici registrandi. Sic Commissarij, vel Delegati, occasione causarum eis à Reuerendissimo, vel alio commissarum: Et eorum scripturis certa, & firma adhibeatur fides, vt suprà, ac si per publicū Tabellionem Pontificia, vel Imperiali auctoritatibus institutum, essent actitatæ.



CAPVT XXII.

De efficiendis prima die Capituli Generalis, scilicet circà vocalium admissionem, Definitorum, ac Rectoris electionem, & Præpositi Generalis, ac Priorum renunciationem.

207. DIe igitur Lunæ, immediatè sequenti Dominicam tertiam post Pascha Resurrectionis, qua incipiendum est Capitulum Generale, de mane post Primam, tempestiuè tamen, per aliquem ex Prælatis ad hoc à Præposito Generali delectum, cantetur solemniter, vt prędicitur, Missa de Spiritu sancto, Ac ea absoluta pulsetur ad conuocandum Capitulum more solemni, scilicet tribus signis campanulæ, & per claustra cymbalum. Et congregatis omnibus Monachis in loco ad id præparato, ac cunctis per ordinem sedentibus, per Prępositum ipsum, vel alium idoneum, cui hoc ipse demandauerit munus, habeatur Oratio, vt in Statutis. Et ea expleta, qui vocem non habent in Capitulo, statim recedant, ac per Ianitorem ad id deputatum occludantur ostia loci Capitularis. Et tunc omnes vocales genuflexi dicant solitas preces, scilicet alternatim per choros psalmum. Ad te leuaui oculos meos &c. & in fine Kyrieeleyson, Christeeleyson, Kyrieeleyson, & deindè secretò Pater noster &c. Postea Pater Prępositus Generalis dicat.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte nobis auxilium de sancto. ℟. Et de Syon tuere nos.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Emitte spiritū tuū, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.
℣. Domine exaudi orationem meā. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & nos famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abundare.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Statimq; erecti iterum ex ordine sedeant, Præpositus scilicet in capite, & Definitores Capituli proximè præteriti apud eum hinc indè, deindè reliqui Priores, postea alij secundum eorum gradus, & officia, & apud Reuerē-

dissimum

dissimum insistat Monachus in Scribam Capituli electus. Is in primis aduocet ex ordine singulos Monasteriorum Procuratores, qui sigillatim corā Præposito, & Definitoribus expeditè se præsentent, suasq; litteras patentes singulariter exhibeant. Ad Præpositum igitur, ac Definitores prædictos spectabit in primis Procuratorum electiones approbare, & dubia, si quæ forte circa illarum validitatem, aut alterius personæ in Capitulo Generali vocem habentis legitimationem, rationabiliter fuerint excitata, & coram eis deducta, auditis tamen partibus, ac earum rationibus, dirimere, & definire, Quorum determinationi absq; aliqua reclamatione, aut appellatione volumus ab omnibus simpliciter esse standum, & penitus acquiescendum.

Omnibus itaq; discussis, Præpositus admoneat capitulares, iam esse deueniendum ad electionem nouorum Definitorum, de quorum consilio, & auctoritate cum debeant pendere omnes ferè actiones, & definitiones capitulares, adhortetur quoq;, vt personas graues, & alias ad id idoneas, sedatis omnibus animi passionibus, iuxtà verùm conscientiæ dictamen velint deligere. Instituatur autem hoc pacto Definitorum electio. Scriba Capituli habeat omnes capitulares in notula adscriptos, quos ex ordine aduocet, singulusq; eorum aduocatus respondeat alta voce. Adsum. Posteà perlegatur per eundem Scribam ad intelligentiam totius Capituli præfatū caput 6. sess. 25. ex Concilio Tridentino, necnon cap. 11. ex Statutis, vbi de qualitatibus in Definitores assumendorum, ac iurent singuli electores ad proprias conscientias, se magis idoneos esse electuros. Præmittatur deindè nomine totius Capituli protestatio, qua singuli protestentur, ad omnes futuras electiones, & capitulares actiones conualidandas magìs, & ad omne dubium repellendum, ac ad omnem alium bonum finem, & effectum &c. se nolle, nec intendere, quemlibet in prædictis electionibus, aut actionibus de iure admittendum, repellere, nec repellendum admittere, & ideò protestētur quoq;, vt suprà, non interuenientes habendos esse, & haberi tamquàm si interuenissent, & interuenientes, vt suprà, tamquàm si non interuenirent; Quæ protestatio fiat, actitetur, & registretur per Scribam, vt suprà. Deindè habeat ipsemet Scriba in promptu folia ad numerum vocalium, in quorum singulo sint ex ordine adnotata nomina omnium in Capitulo Generali vocem habentium, eaq; consignet Præposito, ac Definitoribus supradictis, per illos singulis electoribus destribuenda, detrahendo semper, vel discindendo proprium electoris nomen, nè possit sibimet suffragari. Ex proprio folio electorum quilibet separatim seligat, ac extrahat tria nomina eorū, quos in scrutatores pro electione Definitorum intendit eligere, atq; ad præsentiam Præpositi, & Definitorum prædictorum in vrnam sigillatim immittant. Et perfecta per omnes immissione, extrahantur per Præpositum, & Definitores, calculentur, adaperiantur, & tres illi, qui fuerint reperti, plura accepisse suffragia fauorabilia, intelligantur, sint, & publicētur electi in scru

tatores ad præfatam Definitorum electionem faciendam.

Ascendant mox præelecti tres scrutatores ad locum Superiorem, ac per Scribam eis exhibeantur totidem folia ad numerum vocalium, in quibus sint ex ordine, vt suprà, omnium vocalium nomina descripta. Distribuantur seriatim per scrutatores, vt suprà, & per electorem singulum deligantur, ac deducantur nouem nomina eorum, quos in Definitores intendunt assumere, immittanturq; ex ordine in vrnam ad præsentiam scrutatorum, extrahantur, calculentur, & adaperiantur per ipsos, & nouem, quos adinuenerint plura propitia vota accepisse, intelligantur, declarentur, publicentur, & ipso facto sint in Definitores Capituli electi, etiam si numerus fauorabilium non excederet duas ex tribus omnium suffragiorum.

208. Si inter prædictos aliquis non habens conditiones pro hoc munere ex cap. 11. Statutorum requisitas eligeretur, eius electio ipso facto sit nulla, & intelligantur tantùm electi, qui inter habiles in votis fauorabilibus superant.

209. Si fortè contingeret, duos, vel plures in propitijs suffragijs esse pares, si ambo includuntur in nouem superantibus, intelligantur vtriq; electi. Sin vnus tantùm, intelligatur electus, qui præcedit secundum ordinem professionis.

210. Sic verò electis, & publicatis Definitoribus, proficiscantur omnes processionaliter ad Ecclesiã, hoc ordine, scilicet Definitores electi maneant in loco digniori, post omnes, præter Præpositum, ac simul Deo gratias agentes dicant alternatim Canticum. Benedicite omnia opera Domini Domino &c. & in fine Kyrieeleison, Christeeleison, Kyrieeleison. Cùm peruenerint ad Ecclesiam, sint genuflexi, & dicant secretò, Pater noster, Deindè Prępositus dicat.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Dñe auxilium de sancto. ℟. Et de Syon tuere eos.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine exaudi orationem meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulis tuis, & dirige eos secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: Vt te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

211. Diligens autem Scriba sit sollicitus in registrando seriatim singulos prædictos actus in libro, vt suprà, ac nomina prædictorum electorum Definitorum, vt cũctis innotescant, ex ordine in cedula quadam publica describat,

bat, à Præpoſito, & ab eo ad faciendum fidem ſubſcribenda, & ad valuas loci capitularis affigenda.

212. Renunciatio dignitatis, & officij ſupradicta die à prandio per Præpoſitum Generalem, vt in Statutis facienda, fiat hoc modo. Congregatis iterum ad ſonum Cymbali, ac per ordinem in loco Capitulari ſedentibus cunctis vocalibus. Prępoſitus ipſe è proprio loco exurgat, ac ad medium Capituli accedens, ibi coram Definitoribus genuflexus dicat. Ego Don talis de tali loco Congregationis noſtræ Monachorum Eremitarum Diui Patris Hieronymi Prępoſitus Generalis, ac Monaſterij Sancti Petri de Hoſpitaletto Prior, renuncio prædictis dignitatibus, & officijs, Præpoſituræ ſcilicet Generalis, & Prioratus prædicti, petoq; humiliter, ac cum inſtantia huiuſmodi renunciationem meam admitti, ac à prædictis abſolui. Et ſtatim proſtratus dicat culpam ſuam de commiſsis, & ommiſsis in prædictis officijs, poſtuletq; ſecum miſericordiam fieri, aliquamq; ſalutarem pœnitentiam ſibi imponi, ac Deum pro ſe orari. Cui per prouectiorem Definitorē, vt in Statutis, reſpondeatur. Nos vigore poteſtatis &c. Intelligaturq; Definitorio reſeruata pœnitentia ſalutaris opportuno tempore ſingulis imponenda. Et ſtatim conſurgat, conſignetq; ſigillum officij Generalatus in manibus Definitorum, ac conſedeat in loco iuxtà Congregationis inſtitutiones ſibi debito.

213. Poſteà illicò Definitores ex ſe ipſis nominent, & eligāt vnum in Rectorem Capituli, qui ſic electus ſtatim in capite conſedeat, omnibus vbiq; præſit, & omnia præeminentiæ ſigna faciat, vel perfecta vſq; electione Præpoſiti Generalis, ſi Generalis de numero Definitorum eligetur, vel etiam vſq; ad Capituli complementum incluſiuè, ſi fortè contingeret Generalem extrà Definitorum numerum eſſe electum, & vt in Statutis abundantiùs; Ac apud ſe ſigillum Congregationis conſeruabit, futuro Præpoſito Generali conſignandum.

214. Poſt renunciationem, & abſolutionem Prępoſiti Generalis, renuncient ſigillatim ſecundum ordinem Monaſteriorum ſinguli Priores dignitati, & officio, dicantq; culpam ſuam, vt ſuprà, & fiat eis abſolutio, vt ſuprà, per Rectorem.

215. Abſolutis omnibus Prioribus, dicat Scriba alta voce, exeant omnes pręter admodum Reuerendos Patres Definitores. Et tunc præfatis Definitoribus, & Scribæ Rector mandet, & iniungat in virtute ſanctæ Obedientiæ, & etiam ſub pœna excommunicationis, quatenus expedire videatur, vel priuationis proprij officij, etiam Definitoriatus, vel alijs pœnis; Nè ea, quæ in Definitorio proponentur, tractabuntur, diſcutientur, vel definientur, alicui extrà Definitorium reuelare vſq; ad finem Capituli, vllatenus audeāt, vel etiam vlterius, maximè ſi talia ſint, ex quorum reuelatione damnum, vel ſcandalum in Congregatione alicui emanare poſsit. Et idem etiam ſub

eiſdem,

eisdem,vel alijs pœnis poterunt Definitores iniungere ijs, qui ad Definitorium pro negotiorum interesse accedent, vel fuerint accersiti. Et idem efficere poterunt Priores in Capitulis particularibus suorum Monasteriorum, si opus erit.

216. Deindè præfati Definitores constituant, ac deputent saltem sex Sacerdotes magis idoneos,vel ex vocalibus,vel ex residẽtibus in Monasterio, ad audiendas Capitularium confessiones,ac eos sacramentaliter à peccatis absoluendos. Interim verò confiteantur,vel Confessarijs ordinarijs prędicti Monasterij; vel subditi suis Prioribus,& vicissim Priores suis subditis. Horum Confessariorum nomina ex ordine in cedula per Scribam distincta, manu propria Rectoris,& Scribę in testimonium munita affigentur ad valuas Ecclesiæ,vt omnibus innotescant.

CAPVT XXIII.

De efficiendis secunda die, scilicet de proponendis in Definitorio per Procuratores; Eorum informationibus recipiendis; Ac Inuentariorum examine habendo.

217. DIe subsequente, quę erit feria tertia de mane dicta Missa Capitulari de Spiritu sancto, ad sonum cymbali congregentur Rector,& Definitores vnà cum Scriba,& in primis imponant, & asignent pęnitentias salutares Pręposito,& Prioribus absolutis,quas Scriba ordinatim describat in cedula, Rectoris,ac eius manu subscripta, ad valuas loci Capitularis affigenda.

218. Deindè iubeant,ad se sigillatim per ostiarium vocari Monasteriorũ Procuratores,qui vnus post alium ex ordine accedentes, exhibeant proprij Monasterij sigillum,inuentaria,& pecunias etiam,ac litteras cambij,si quas fortè apud se detulerint (quamuis nùnc temporis ob itineris pericula tutius in proprijs Monasterijs pecuniæ sub solita Superioris, ac Capseriorum custodia dimittantur,earum tantùm in inuentarijs nota ad Capitulum delata,) quæ quidem sigilla, ac pecuniæ cum suis notulis, vt internoscantur, recõdantur in arca communi Monasterij, vt tempore congruo Prioribus de nouo electis reddantur. Inuentaria verò maneant apud Scribam,per Definitores,vt infrà examinanda.

219. Exhibeant etiam sigillatim litteras,memorialia, & quascunq; alias scripturas per Monachos proprij Monasterij ad hunc effectum eis commissas,ac oretenus quoq; fideliter,& breuiter exponant, quæ sibi fuerint subministrata,vel etiam quæ ipsimet, propria dictante conscientia pro bono Congregationis,ac Monasteriorum expedire adiudicauerint.

220. Dùm autem hæc à Procuratoribus proponentur, & à Definitoribus

attentè

attentè audientur, ſciſcitantibus etiā, ac indagātibus ſingulorum rationes, & circunſtantias, dūmodo noſcant, Procuratores de ijs eſſe informatos, & pro veritate loquuturos; Scriba ſolicitus præcipuorum omniū notam cum ſuis fundamentis, & probationibus ſummatim inſcriptis in quinternulo ſeparatim rediget, ac cunctas ſcripturas ab eo coram Definitoribus perlegēdas apud ſe conſeruabit, breue etiam contentorum compendium à tergo illis inſcribens, vt cum erunt per Definitores diſcutienda, omnia habeat in promptu.

221. Ad Definitorium non deferantur negotia leuia, & parui momenti, quæ per proprios Priores potuerint, aut debuerint definiri, niſi id ipſi malitiosè diſtulerint, aut negligenter nimis ommiſſerint, vel interuenerit in eorum perſonam legitima ſuſpitio. Quod ſi ſecus fiat, iterum ad proprios Priores, ſub quorum obedientia Monachos delatos degere contigerit, vel Præpoſitum Generalem, aut Viſitatores ad arbitrium Definitorum, remittantur, alioquin negotiorum cumulus Capitulum nimis in longum protraheret.

222. Si ad Definitorium peruenerint litteræ, aut cuiuslibet generis ſcripturæ, proprio auctoris nomine ſupreſſo, vel variato, aut caractere malitiosè immutato, vel falſificato; de illis nulla habeatur conſideratio, ſed potius omni arte curetur, vt quoquomodo ſcripturis, aut auctoris notitia habeatur, & habita tamquàm de falſo reus, ac conuictus cenſeatur, & puniatur.

223. Auditis, & egreſsis è Capitulo ſingulis Procuratoribus, incipiāt Definitores prædicta diſcutere, & definire ſecūdum ordinem Monaſteriorum: Proponente tamen ſemper Rectore, ac eius ſententiam cum fundamentis circà quodlibet particulare deducente, & reliquis ordinatim id deinceps liberè efficientibus, & definientibus ſecundum pluralitatem opinionum, & ſententiarum.

224. Sin autem erunt talis conditionis negotia, quæ longiorem diſcuſsionem requirant, & nihilominus tempore Capituli valeant terminari, poterūt illa committere vni, aut duobus ex Definitoribus, qui quamprimùm opportunas ſumant informationes, & ſtatim Definitorio referant, quod definiat, & determinet vt ſuprà. Sin verò longius etiam temporis otium poſtulent, & informationes neceſſariæ tunc haberi non poſsint, relinquant ea decidenda futuro Præpoſito Generali, vel Viſitatoribus, aut proprijs Prioribus.

225. Prædictas verò commiſsiones, & definitiones apponet Scriba ordinatè in actibus, vt cum erunt nouis Superioribus, vel alijs pro exequtione committendæ, poſsit ea facilè extrahere, & ſcripturas opportunas de mandato Definitorum eformare.

226. A ſententijs, & Definitionibus à Definitorio, vt ſuprà emanatis, (cū iſtud ſit ſupremum Congregationis tribunal) nullo pacto liceat reclamare, aut appellare, & nullatenus poſsint per ipſum determinata retractari, niſi

per

per duas sententias oppositas in duobus alijs Definitorijs vniformiter, & successiuè ferendas.

227. Et ideò Admodum Reuerendos Patres Definitores vehementer in Domino hortatos esse volumus, vt cunctis sedatis passionibus, & animis ad iura, & proprias Congregationis constitutiones benè applicatis, maturè in omnibus, & facti veritate diligenter inspecta procedant, in hocq; præsertim eorum conscientias aggrauamus.

228. Eadem die à prandio, ad sonum cymbali iterum congregatis, vt suprà, Patribus Definitoribus, & cum eis cœteris omnibus vocalibus, dicat alta voce Scriba. Admodum Reuerendi Patres Definitores omnibus, & singulis exhibeant, ad eorum libitum, priuatam, vel publicam audientiam. Et tunc si qui petierint publicè audiri, pleno Capitulo audiantur. Sin verò maluerint priuatim audiri, cœteris dimissis, eis audientia exhibeatur, & procedatur circa ea, ad discussionem, & definitionem eorum, vt suprà. Et hoc idem fiat in principio omnium aliarum sessionum vsq; ad eam, in qua eligendus est Præpositus Generalis.

229. Deindè deueniant ad examen Inuentariorum, quæ exhibeantur sigillatim secundum Monasteriorum ordinem, & perlegantur per Scribam, cunctis Definitoribus benè audientibus. Et cum per ea constabit, Monasteria ob prętеritorum Priorum malam administrationem remanere ære alieno grauata, vel res necessarias pro communi victu vsq; ad tempora noua, secundum Congregationis, & Monasteriorum vsum, non fuisse in debita quantitate praemptas, & præparatas, vel suppellectilia Conuentus, Sacrestiæ, & officinarum non fuisse debitè innouata, vel Monasterij ædificia reparata; De ijs, & similibus omnibus petant, & sumãt informationes à proprijs Procuratoribus, & ab alijs, quos de prædictis notitiam habere præsumant, & cum apparebit, hæc culpa, vel negligentia eorum euenisse, aut inuentaria non fuisse fideliter effecta, & exhibita, facta etiam comparatione cum inuentarijs prioribus; fiat de ijs omnibus particularis memoria à Scriba, vt tempore debito vlterius de eorum administratione à Patribus Visitatoribus, & Præposito Generali, qui eorum Monasteria visitarunt, diligẽtior informatio, & exactior occasione relationis visitationis faciendę sumatur, & maturius, cum opus erit, contra prędictos Priores procedatur.

CAPVT XXIIII.

De efficiendis tertia die, scilicet de scrutinio librorum Magistralium; Et relatione visitationis; Ac Definitione causarum.

230. Tertia eiusdem Capituli die, scilicet feria quarta de mane celebrata Missa Capitulari, ac congregatis omnibus, & exhibita audientia

dientia,vt suprà,Patres Definitores iubeant ad se deferi libros Magistrales Depositariæ, seu communis capsæ Cōgregationis, quorum inquisitio committatur duobus ex Definitoribus peritis,qui diligenter legant, inspiciant, scrutentur,ac simul conferant prędictos libros, attendentes præsertim; an tàm introitus,quàm expensæ omnes sint fideliter, & iuxtà artem in Congregatione vsitatam descriptę,non per alium, quàm per Monachum ad id electum. Num adsint expensæ irrationabiles, nimis graues, contrà vsum Congregationis; Et præsertim calculent, & restringant, an Congregatio maneat ære alieno grauata,& si Monasteriorum quindennia,& aliæ impositiones apud Sedem Apostolicam sint persolutæ. Ac cum diligenter omnia fuerint perscrutati,prout adinuenerint,Definitorio referant. Et si Definitoribus constiterit,omnia rectè se habere,nihilq; ex dolo, malitia, aut notabili neglıgentia fuisse commissum,vel ommissum,absoluant,& faciāt Decretum absolutorium, si opus fuerit,pro iustificatione in fauorem Præpositi,& Depositariorum infrascripti tenoris. Sin aliter, contrà ipsos procedant,& puniant secundum iura,& proprias Congregationis constitutiones, ipsis tamen prius vocatis,& auditis.

231. Nos infrascripti Definitores, qui in Capitulo nostro Generali de anno præsenti congregati; inter alia diligenter examinauimus,ac perscrutati sumus libros Magistrales communis Depositariæ nostræ Cōgregationis,sub Generalatu Reuerendissimi N. à tali die vsq; ad talem diem, & computa omnia in eis descripta: Quia vidimus, & re ipsa adinuenimus, libros prædictos fuisse rectè,& secundum formam in Congregatione vsitatam directos, Congregationisq; prædictæ expensas sincerè, & fideliter factas, cunctaq; probè,& debitè fuisse administrata; Ideò auctoritate, quâ fungimur,tenore præsentis Decreti,quod perpetuò valiturum esse decernimus, prædictum Reuerendissimum N. ac Reuerendos Patres D. N. &, D. N. Depositarios per anteactum Capitulum nostrum de anno &c. electos, à prædicta administratione, ab eiusq; reddenda imposterum ratione absoluimus,ac absolutos esse declaramus; Nec amplius per quēquam super huiusmodi,aut quidpiam illorum molestari posse decernimus. Non obstantibus &c. Dat. &c. Et si erit extrahendum, subscribatur per Definitores,ac Congregationis sigillo roboretur.

232. Eodem pacto poterunt inquirere de administratione Prioratus, cui præfuit Generalis absolutus,ac cuiusuis alterius Prioris, qui pro sui iustificatione proponet,& exiget, sui regiminis computa examinari; Quamuis ad hoc non sint alias cogendi, nisi adsit legitima suspitio malæ administrationis per Definitores approbanda; sufficiens enim iustificati regiminis argumentum videtur examen,ac inquisitio per Præpositum Generalem,& Visitatores in eorum visitationibus respectiuè cum iustificatione facta, & ratio singulo mense proprij Monasterij Capitulo reddita, & quolibet anno in

fine regiminis vniuerſalius repetita.

233. Occaſione tamen ſuſpicionis legitimę, vt ſuprà, vel denunciationis cum opportunis inditijs exhibitæ, fiat omninò prædicta inquiſitio, ac examinatio: Et ſi tempus non ſuppetit, committatur alijs, qui referant Definitorio, vel futuro Præpoſito Generali, qui cum conſilio Conſultorum definiat vt ſuprà. Eodem pacto procedere poterit Præpoſitus ipſe extrà tempus celebrationis Capituli Generalis.

234. Eodem die poſt prandium, exhibita audientia, vt ſuprà, iubeat Pater Rector, ad Definitorium aduocari Viſitatores pro relatione viſitationis Monaſteriorum ab eis habitæ facienda; qui aſſociati, ac bini, & bini, prius ſcilicet qui Monaſterium Reuerendiſsimi Patris Generalis, ac alia cum eo aſsignata, deindè qui reliqua viſitauerunt, accedant; ac ex binis dignior Definitorio referat ſummatim, & diſtinctè (ſocio nihilominus, ſi opus fuerit, & ſi memoria defecerit, etiam ſubminiſtrante) quæcunq; præcipua, & animaduerſione digna, ſecundum ordinem Monaſteriorum per eos viſitatorum, adinuenerint, & præſertim ſi ſint adhuc corrigēda, & talia, circà quæ ob anguſtiam temporis, vel alia digna de cauſa per eos explicanda, & per Definitorium approbanda procedere nequiuerint, aut diſtulerint. Quæ verò exponuntur adhuc non emendata, & punienda, per Scribam annotentur ſummatim, vel ſaltem eorum fiat memoria ſeparatim. Interrogentur etiam ſpecialiter, ac diligenter ab eis Definitores peruestigent de regimine illorum Priorum, quorum apud Definitorium ex ſcrutinio Inuentariorum, vel aliundè eſt legitima malę adminiſtrationis ſuſpitio, necnon de officio, qualitatibus, ac moribus cuiuslibet, qui ſit apud Definitorium legitimè delatus, aut de quo Definitoribus ipſis quoquo pacto ſit dubium, quòd deliquerit, & præſertim interrogent circà ea, quæ eis apud Definitores opponuntur. Tandem interrogent, ſi eis aliquid ſuppetit, quod pro bono Congregationis, aut eius Monaſteriorum, vel perſonarum Definitorio proponendum, aut ſubminiſtrandum videatur. Et quæ proponentur conſideratione digna, annotabuntur quoq; per Scribam ſeorſim in quinternulo particulari.

235. Expedita Viſitatorum relatione, aduocari faciat Admodum Reuerendum Patrem Generalem abſolutum, & ab eo percunctentur quoq;, an aliquid habeat proponendum, vel ſubminiſtrandum, vt ſuprà. Qui tamquàm Paſtor oues agnoſcens dicat liberè, quid ſentiat de quibuſuis contingentibus, ac quid occaſione ſuæ viſitationis annuæ, vel officij in facto repererit; Et quę ab eo habentur, annotentur quoq;, & apponantur, vt ſuprà.

236. Aduocentur deindè de eorundem mandato ſinguli Priores abſoluti, qui ex ordine accedentes præſentent cedulam à proprij Monaſterij Monachis ſubſcriptam, & fidem facientem, quod ſingulo mēſe, & vniuerſaliter quolibet anno, & in fine ſui regiminis eis capitulariter rationem de omni-

bus

bus expensis reddiderint secundum formam, vt cap. 19. numero. 192. Item interrogentur & ipsi, si quę habent pro bono Congregationis proponenda &c. Et scribantur, & apponantur, vt suprà.

237. Tandem, si sint ex illis, qui apud Definitorium sunt delati, vel de quorum administratione rationabiliter dubitatur, interrogentur singulariter circà particularia sibi opposita, aut de quibus dubium est, vt suprà; non nominando tamen personas, quæ denunciarunt, aut inditia subministrarũt, sed tantùm asserendo. Cùm nobis constet, aut apud nos legitimum sit dubium de tali re &c. Et si adducant, quibus legitimè excusentur, aut iustificentur, dimittant eos absolutos. Sin minus procedant, ac puniant iuxtà Ordinis disciplinam; attendentes præsertim, vt omnis occasio malæ administrationis pręscindatur, & de hoc rei, vel rationabiliter suspecti ad dignitates, & officia, quibus incumbit bonorum administratio, iterum non assumantur.

238. Et si res huiusmodi longius expostulent tempus ad proprias iustificationes deducendas, concedatur, & committantur vel futuro Præposito Generali, vel Prioribus eligendis, vt suprà.

239. Expeditis omnibus Prioribus, vocari iubeant separatim alios Officiales vt suprà delatos, vel inditiatos, & deindè Monachos subditos, si adsint, & contra eos procedant, vt suprà; Et si sint absentes, committant, vt suprà.

CAPVT XXV.

De efficiendis quarta die, scilicet de electione Præpositi Generalis, Priorum, ac cęterorum Officialium Congregationis.

240. Die Iouis de mane cantetur solemniter Missa de Spiritu sancto, ac ea absoluta pulsetur ad congregandum plenum Capitulum tribus signis campanula, & cymbalum per claustra. Congregatis itàq; omnibus Capitularibus, ac per ordinem sedentibus, admoneat Rector Capituli, iàm deueniendum esse ad electionem noui Prępositi Generalis, verbisq;, ac rationibus efficacibus, & ad persuadendum opportunis, vel etiam oratione particulari, si expedire videbitur, adhortetur, vt pro tanto munere eum velint deligere, qui reuera omnium caput esse mereatur, onusq;, & auctoritatem tantę dignitati debitam sciat, & valeat probè sustinere, ac eis benè vti. Deindè ad inuocandum supernum Diuini Spiritus auxilium decantetur flexis genibus per Choros alternatim Hymnus; Veni Sancte Spiritus &c. ac eo absoluto dicat Rector in tono solito Versum. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & cœtera, vt in electione Procuratoris. Postea perlegatur per Scribam supradictum cap. 6. sess. 25. ex Concilio Tridentino de electionibus, & caput 11. ex Statutis in partibus, vbi agit de qualitatibus in Præ-

positum Generalem assumendorum, scilicet num. 47. & num. 52. Et ex Ordinario hoc eodem cap. num. 245. & tandem iurent electores ad eorum cōscientias, se magis idoneum esse electuros. Cùm verò hæc quoq; electio sit per formam scrutinij facienda, exhibeantur mox per Scribam Rectori, & Definitoribus folia ad numerum vocalium, in quibus sint per ordinem manu eiusdem Scribæ omnium capitularium præsentium nomina digesta; quæ distribuantur per eosdem Definitores singulis, per Scribam ex ordine vocādis, discissis proprijs nominibus, admonitis etiam per Rectorem, vt quilibet è proprio folio debeat tria eorum nomina distrahere, quos in scrutatores pro proxima Prępositi Generalis electione intēdit eligere. Detractisq; prædictis nominibus, ac ad præsentiam Definitorum in vrnam immissis, & extractis, calculatis, ac apertis per Definitores, qui plura adinuenientur accepisse vota gratiosa, publicentur, ac declarentur in scrutatores ad prædictum effectum electi. Scrutatoribus autem, vt prædicitur, præelectis, ac ad locum superiorem iàm conscendentibus, exhibeat Scriba totidem folia, in quibus ex ordine, vt suprà, sint omnium Priorum, qui scilicet in Capitulo proximè renunciarunt, nomina descripta (est enim Præpositus Generalis de numero Priorum tantùm iàm ex Statutis eligendus) & distributis omnibus folijs, iubeat Scrutator senior, quemlibet ex proprio folio debere detrahere illius nomen, quem intendit, & vult in Præpositum Generalem eligere. Accedentesq; singuli ex ordine immittant in vrnam, quæ aperiatur per scrutatores, & calculatis, apertis, & inspectis prædictis nominibus, qui ex eligibilibus plures adinuentus fuerit recepisse voces fauentes, intelligatur, declaretur, sit, ac publicetur iure in Præpositum Generalem totius nostræ Congregationis electus.

241. Quòd si contingeret, aliquem ex inhabilibus vel ex proprijs Constitutionibus, vel ipso iure, vel aliter omnes in suffragantibus superasse, habeatur talis electio inualida, & reuertantur iterùm ad alium eligendum. Et si fortè per tres vices semper inhabilis excederet, intelligatur deinceps, & declaretur electus, qui ex habilibus plures receperit voces fauentes, nulla facta comparatione cum inhabilibus.

242. Quòd si per longum temporis decursum in huiusmodi electionis modo non conuenirent, liceret tùm Scrutatoribus oretenus eligentium vota singulàriter scrutari, recipere, & vt in Procuratoris electione dictum est, procedere.

243. Publicetur verò, ac omnibus inthimetur prædicta Præpositi Generalis electio hunc in modum. Patentibus ianuis loci Capitularis, ac intromisso toto Monachorum Conuentu, Scrutator professione senior exurgat, & alta voce pronunciet. In nomine Domini nostri IESV Christi Benedicti, Amen. Anno à Natiuitate eiusdem &c. die Iouis &c. Ego Don talis de tali loco Scrutator, ac Arbiter compromissarius pro electione Præ-

positi

poſiti noſtri Generalis in hoc noſtro Capitulo Generali facienda electus, vigore poteſtatis per Statuta noſtra,& per iſtud venerabile Capitulum ſocijs meis D. N. de tali loco; & D.N. de tali loco, & mihi traditæ,& per eoſdem ſocios meos,& ex iure, & conſuetudine ipſa mihi ſpecialiter conceſſæ, nomine prædictorum ſociorum meorum,totius Capituli, & meo nomino,eligo,& pronuncio in Prepoſitum Generalem totius Ordinis,ac Congregationis noſtræ Reuerendiſsimum in Chriſto Patrem , D. N. de tali loco; Et iuxtà Statutorum noſtrorum Apoſtolicorum continentiam declaro,eo ipſo eum eſſe auctoritate Apoſtolica in Prępoſitum prædictũ confirmatum. Et ſtatim pulſetur omnes campanæ,ac intonetur in nota ſolemni; Te Deum laudamus &c. & deducant ipſum proceſsionaliter, Cruce præcedente,ad Eccleſiam,cantantibus, & proſequentibus alternatim per Choros prædictum Hymnum. Poſtquàm ad Eccleſiam peruenerint, omnibus genuflexis in proprijs ſedibus,ac ipſo in ſede digniori, ad hoc etiam decenter parata,abſoluto Hymno,Definitor profeſsione antiquior dicat in tono ſolito.

℣. Saluum fac ſeruum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Dñe auxilium de ſancto, ℟. Et de Syon tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo N. Præpoſito noſtro,& dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ, vt te donante,tibi placita cupiat,& tota virtute perficiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et ſtatim Præpoſitus per antiquiorem Definitorem erigatur, & ad ſedẽ præparatam deducatur,in qua , dùm in ſignum auctoritatis acceptæ ſedet, veniant ſinguli ſecundum dignitatis,vel profeſsionis ordinem, & antè eum genuflectentes in ſignum reuerentiæ,& obedientiæ ei deoſculentur manus. Quo præſtito exurgat,& omnes de Eccleſia ſimul recedant.

244. Idem eligendi modus ſeruetur,cum medio tempore ob mortem,vel regularem amotionem, aut etiam ſpontaneam renunciationem eſſet eligẽdus Præpoſitus Generalis;hoc tantùm immutato, quòd ad huiuſmodi electionem conuenire debent ſolum Priores,ac Conſultores, vt ex Statutis, & Breui Gregorij XIII. Et prędicti ſunt per Conſultorem profeſsione prouectiorem conuocandi.

245. Ad præcludendas ambientium importunitates, & proſternendos, quantùm fieri poteſt,immeritorum hominum conatus,quod ſummè his tẽporibus eſt neceſſarium, non ſolum declaramus ſingulos Congregationis

noſtrę

nostræ Religiosos, qui pro obtinendis in ipsa Congregatione dignitatibus, muneribus, vel officijs litteras commendaticias, fauores, gratias, vel preces à quibuscunq; personis, tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus cuiuscunq; gradus, status, conditionis, & præeminentiæ mendicare, aut requirere immediatè, vel mediatè, aut alias ab ipsis etiam non requisitis, sed spontè omninò delatis, quoquomodo vti ausi fuerint, Ex Breui Greg. XIII. Dat. die 25. Aprilis 1593. omnibus, & quibuscunq; dignitatibus, officijs, & muneribus, & alijs quibuslibet oneribus, & honoribus ipsius Religionis per eos obtentis, necnon voce actiua, & passiua priuatos, & ad illa, ac alia quęcunq; deinceps obtinenda perpetuò inhabiles, & incapaces, absq; alia declaratione, sed tantùmmodo ex ipsa litterarum, fauorum, gratiarum, & precum, etiam oretenus porrectarum huiusmodi probatione existere eo ipso; Verũ etiam eos excommunicationi eo ipso submittimus, à qua tantùm per Præpositum Generalem possint absolui, nec nisi facta prius resignatione dignitatis, vel officij hac arte assecuti, vel procurati, vel si assequi nequiuerint, nisi ab his desistant, & pœnitus se amoueant.

246. Ex parte secunda Ordinarij veteris cap. 4. prohibemur omninò, in Cõgregatione Vicarium generalem ordinarium, vel Prouinciales instituere, vel Capitula Prouincialia habere, quia tolleretur vnitas Congregationis; Probatæ tamen consuetudini inhærentes declaramus, per hoc non prohiberi, quin Prępositus Generalis, dùm extrà partes Lombardiæ degit, possit, & debeat Vicegeneralem, vel eius locumtenentem, cum auctoritate solita, vel sibi beneuisa, pro eo tantùm tempore instituere, qui in sui absentia eius vices sustineat.

247. Eodem die à prandio, congregatis iterùm Definitoribus, ac Reuerendissimo Generali Præposito, eligantur pro singulis Monasterijs secundũ Monasteriorum ordinem Priores hoc modo. Adhortatis omnibus per Prępositum ad prouidendum de optimis, ac idoneis pastoribus, ac prælectis cap. 6. sess. 25. de electionibus ex Concil. Tridentino, & cap. 11. ex Statutis, vbi de qualitatibus in Priores eligendorum num. 49. & ex hoc eodem cap. superius num. 245. præstitoq; iuramento per omnes, de magis idoneis iuxtà conscientiam eligendis, incipiant eligere Priorem pro Monasterio Hospitaletti (ad quod officium, vt communiter, iuxtà diù obseruatam consuetudinem, & ad præscindendas discordiarum radices assumatur Præpositus Generalis) hunc in modum. Singuli separatim describant in schedula nomen illius, quem intendunt, ac volunt in Priorem talis Monasterij eligere, & schedulas ordinatim immittant in vrnam ad præsentiam Præpositi, ac Definitorum. Quæ deindè extrahantur, & inspiciantur, & qui plures habuerit schedulas gratiosas, ille intelligatur, & sit eo ipso in Priorem talis Monasterij electus. Deindè eligatur eodem pacto Prior pro Monasterio Sancti Alexij de Vrbe, & postea successiuè reliqui. Quas quidem electiones

Scriba

Scriba Capituli diligenter annotet, & apponat in libro actuum Capitularium, vt supra, ac etiam Cathalogum singulorum Priorum electorum conficiat, per Præpositum, & ipsummet Scribam subscribendum, & ad valuas loci Capitularis, vt cunctis innotescant, deinceps affigendum, ac schedulę ipsę comburantur.

248. Deindè per Præpositum Generalem proponatur eligendus in Procuratorem Generalem totius Congregationis in curia Romana, & vt communiter, ac ad euitandas discordias, & etiam vt ex Statutis, proponatur, atque eligatur qui fuerit assumptus in Priorem Monasterij Sancti Alexij de Vrbe. Eligatur autem hoc pacto. Postquàm per Præpositum fuerit, vt suprà, propositus, habeatur vrna cum pluribus pilulis ligneis, albi, ac nigri coloris, & cuilibet Definitorum dentur duę ex prædictis pilulis, altera alba, & altera nigra. Et qui voluerit in electione fauere, exhibebit pilulam albã; qui verò renuerit, nigram; Et posteaquàm singuli ordinatim immiserint singulas pilulas in vrnam desuper coopertam, extrahantur ad præsentiam Præpositi, & Definitorum, & si plures receperit albas, intelligatur, & sit ad prędictum Officium electus. Sin verò plures essent nigræ, iàm esset reprobatus, & alter per Præpositum proponendus, ac vt suprà eligendus.

249. Ad eius officium pertineat, pro bono, ac existimatione Congregationis, cum opus fuerit, ad aures Illustriss. Cardinalis Protectoris, & aliorum Procerum in curia Romana esse, ibidem omnes lites, cunctá negotia, tàm publica Congregationis ex prę scripto Præpositi Generalis, quàm particularia Monasteriorum ad instantiam Priorum, ac eorum Capitulorũ tractare, prosequi, & concludere; Et ideò prohibemus districtè, sub pœna perpetuæ priuationis vocis actiuę, & passiuæ, Prioribus, & omnibus consentiẽtibus, nè in prædicta curia nomine cuiusuis alius instituatur Procurator, nisi de consensu, & expressa Prępositi Generalis licentia. Ac vtatur sigillo paruo Congregationis, cum figura scilicet Diui Patris Hieronymi Monachali, his litteris circundata. Monachorum Eremitarum Diui Hieronymi Procurator generalis. Et fiat ei mandatum procurę nomine totius Congregationis ad singulorum Monasteriorum, & locorum nostrorum, ac personarum negotia tractanda, prosequenda, & cõcludenda in curia Romana, coram quamcunq; personam, & quamlibet Congregationem, ac quodlibet officium, & ad lites in amplissima forma, rogatum, & actitatum, ad magis fidem faciendam, per publicum notarium, quod apud se conseruet, exhibendum, quotiescunq; opus fuerit.

250. Eligantur etiam eodem pacto seorsum duo Depositarij, quibus vnà cum Præposito Generali cura debet incumbere Capsę communis, seù Depositariæ Congregationis, qui vt communiter residere debent in Monasterio Præpositi; Et hac de causa volumus quoque posse per Dietam, seù per Præpositum cum Consultoribus mutari, ac de nouo alios eligi. Quorum etiam

etiam officium erit claues diuersæ clauaturæ, quibus prædicta capsa obserari debet, apud se custodire, & dùm pecuniæ pro Congregationis vsu extrahuntur, aut immittuntur, præsentes esse, ac expensarum notas, vt supra, factarum diligenter examinare, ac approbare, & subscribere, antequam in libris Magistralibus referantur; Et de omnibus tempore Capituli Generalis vnà cum Prępositò Generali rationem reddere.

251. Eligantur etiam eundem in modum quatuor Visitatores, quorum duo digniores, vt ex Statutis, sint de Priorum numero; ac visitent Monasteria sibi per Capitulum Generale, vel Prępositum assignanda, saltem singolo triennio, vel etiam singulo anno ad dispositionem, vt ibidem. Et etiam ad minus singulo triennio per binos ex eis, vel vnum eorum cum Prępositò Generali, visitentur quoque Monasteria extrà Prouinciam Lombardiæ posita.

252. Eligantur quoque similiter sex Consultores, qui Præposito Generali in rebus arduis, ac magni momenti tractandis, & decidendis assistant, consulant, & vota sua, cum opus erit, exhibeant. Intelligantur tamen negotia per Consultorium in eam partem decisa, in quam conuenerit maior pars Consultorum, etiam si non sint duæ ex tribus, vel etiam si concurrerit tantùm medietas, dummodò ex ea parte sit votum Præpositi Generalis. Consultores autem extrà partes Lombardiæ non assignentur, vt vocati à Præposito Generali possint præsto adesse.

253. Eligatur etiam secundum eandem formam Magister Nouitiorum, attentis qualitatibus, vt ex Statutis, quas omnes, quantùm fieri potest, in eo desideramus, præsertim verò morum, ac vitæ integritatem.

254. Deputentur etiam, & eligantur eodem pacto, iuxta constitutionem fœlicis recordationis Sixti Quinti sub Dat. Romæ sexto kal. Decembris Pontificatus sui anno tertio, tres Priores ex vicinioribus Monasterio Prępositi Generalis, ad admittendos extrà celebrationem Capituli Generalis, & Dietę ad habitum nostrum qui post ętatis annum. 16. pro seruitio Chori erunt recipiendi.

255. Eligantur demùm, ac deputentur, iuxtà Constitutionem Clementis Octaui, duo graues, ac periti Monachi pro singula Prouincia, qui examinēt in Lectores assumendos, admittendos ad prædicationem verbi Dei, promouendos ad Doctoratus gradum, ad curam animarum, & etiam ad ordines sacros, ac de eorum sufficienti peritia fidem faciant. Quas omnes electiones diligens Scriba ex ordine describat, & registret vt suprà. Ac in omnibus præsertim attendatur, vt eligendi habeant qualitates ex Statutis pręscriptas.

CAPVT

CAPVT XXVI.

De efficiendis quinta die, scilicet de electione Officialium Monasteriorum; Ac de ordinationibus pro bono Congregationis faciendis.

256. DIe Veneris de mane, post celebratam Missam capitularem, congregatis iterùm, vt suprà, Definitoribus, iubeant ad Definitorium accersiri singulos Priores recenter electos, qui ex ordine accedentes exhibeant cedulam eorum, quos petunt, & cupiunt sibi in officiales assignari, hoc tamen seruato, quòd pro singulo officiali, hoc est tàm pro Vicario, quàm pro Oeconomo nominent saltem tres. Acceptis omnibus cedulis, habeant Definitores paratum cathalogum omnium Sacerdotũ, eis per Scribam opportunè subministratum, ex quo simul conferentes extrahãt, & eligant eos, qui sunt habiles singulo officio, describentes ex vna parte qui sunt habiles magis ad Vicariatum, & ex alia qui magis ad Oeconomatum; quamuis nihil prohibeat, quin isdem, si ad vtrunq; fuerit habilis, possit in numero horum, & illorum collocari: Attendentes, vt habeant in primis qualitates pro talibus muneribus ex Statutis pręscriptas, ac functionibus prædictorum officiorum sint habiles, & in ipsis, & circà ipsa alias non fuerint notabiliter delinquentes. His discussis deueniant iàm ad electionem officialium pro singulo Monasterio. Perlegatur itaq; cap.6.sess.25.de electionibus, Concilij Tridentini, de qualitatibus ad huiusmodi officia eligendorum ex Statutis cap. 11. num.50. præsteturq; per singulos electores iuramentum, quòd magis idoneos eligent. Et deindè proponantur per Præpositum singuli Officiales pro singulo Monasterio, secundum ordinem Monasteriorum, & Officialium, scilicet primò aliquis ad Vicariatum Monasterij Hospitaletti. Secundò alius ad Oeconomatum eiusdem. Tertiò alius ad Suboeconomatum eiusdem. Deindè alius ad Vicariatum Monasterij Sancti Alexij de Vrbe, & posteà alius ad Oeconomatum eiusdem Monasterij, & sic succesiuè fiat de alijs Officialibus cœterorum Monasteriorum. Et in singula electione dentur suffragia per pilulas, vt suprà. In proponendis autem ad prędicta officia, quantùm in Domino possumus, adhortamur Præpositum Generalem, vt magis habiles, dignos, & sufficientes proponat, & si sinè præiuditio Monasteriorum, & periculo scandali, vel alterius mali euentus, quod eius prudentiæ, & conscientiæ dimittimus determinandum, fieri potest, annuat, ac faueat petitionibus Priorum, & conetur semper, vt habeant suas familias, quantùm fieri potest, pacatas, & sibi obsequentes. Et si isdem à pluribus Prioribus petatur pro Officiali, annuatur digniori, vel magis indigenti, vel potiori ratione postulanti, ad iudicium, vt suprà.

257. Eadem die à prandio iterùm congregentur ad Ordinationes, si opus fuerit, pro bono Congregationis, & Monasteriorum faciendas. Ac primò

diligenter pensatis, & simul colatis, ac discussis, quę per Præpositum Generalem absolutum, Visitatores, ac Priores, & etiam Procuratores fuerũt proposita, determinent, si quæ circà ea sunt ordinanda. Deindè proponat Prępositus Generalis, si quę alia ipse existimat expedire, vt in Ordinationes inducantur, ac deinceps idem reliqui Definitores efficiant. Ad singulorum autem propositionem, si res versetur in dubio, discutiatur prius, an sit suffragijs supponenda, hoc est quilibet proferat suas rationes, & fundamẽta, quibus persuadetur esse, vel non esse suffragijs committendam, & si maior pars conuenerit, supponatur, sin minus repudietur. Si autem erit euidentis certitudinis, & vtilitatis, absolutè suffragijs supponatur.

258. Nihil tamen in Ordinationem deinceps transeat nisi approbetur saltem per tot suffragia, quę constituant duas ex tribus partibus omnium Definitorum. Sicut etiam nihil per Capitulum Generale ordinatum volumus posse in Ordinario refferri, ac inter nos vim legis, & præcepti irrefragabilis recipere, nisi per tria Capitula Generalia successiua approbetur, ac per totum id temporis decursum fuerit sinè intermissione in practica positum. Interim tamen obseruetur, ac inter Ordinationes in cedula capitulari referatur, vt in praxi possit induci, vt etiam ex Statutis cap. 8.

259. Inter cœtera autem proponatur per Præpositum Generalem locus, in quo Capitulum Generale proximè futurum erit habendum, & circà hoc quoq; fiat Decretum, seù Ordinatio inter reliquas in cedula capitulari inserenda.

260. Si quid etiam erit per Definitorium circà aliquod Monasterium particulare determinandum, discutiatur, ac determinetur eodem pacto; non tamen in cedula capitulari, sed inter actus capitulares referatur; Ac determinata extrahantur per Scribam, & dentur proprijs Prioribus, vt exequtioni demandentur, cum opportunis præceptis.

CAPVT XXVII.

De efficiendis sexta die, scilicet de Deputationibus Monachorum, & assignationibus familiarum in singulis Monasterijs.

261. Die Sabbati, pręmissa capitulari Missa, congregentur Definitores pro deputationibus Monachorum, & Fratrum, ac accommodationibus familiarum in vnoquoq; Monasterio faciendis. Et primò quilibet Prior eis exhibeat notam omnium, qui in eius Monasterio antè Capitulum erant assignati, ac alteram notam eorum, quos ipse malleret, & cuperet, sibi in subditos concedi. Ac deindè habeant Definitores alteram notã petitionum Monachorum; non tamen admittant indistinctè petitiones cuiuscunq;, sed tantùm digniorum, benemeritorum, & iustis de causis postu-

lantium

lantium. Habeant deniq; etiam notam omnium Monasteriorum, cum numero personarum cuicunq; eorum per Capitulum Generale iam præfixo, ad quam aspicientes, & secundum eam hanc actionem dirigentes, colatis cæteris notis adinuicem, extrahant, & accommodent cuiq; Monasterio taxatam familiam, vel saltem non excedentem, proponente semper Præposito Generali. Attendentes tamen, vt pro qualitate Monasteriorum assignetur sufficiens numerus Sacerdotum, Clericorum, & Conuersorum, seu Commissorum, aut Oblatorum inseruientium. Et vt adolescentiores, quantum fieri potest, assignentur, & teneantur in Monasterijs strictioris obseruantiæ, in quibus nihilominus etiam ad ædificationem existant aliquot seniores, & grauiores. Et vt ij, qui studijs cum fructu incumbunt, assignentur in locis ad id deputatis. Et vt tandem ad subleuandum onus regiminis Superioribus, & ad consolationem subditorum, cum in petitionibus conueniunt, annuatur, nisi adsit causa rationabilis repugnans. Et multò magis, si quis benemeritus Monachus, postquam in muneribus, & officijs maioribus Congregationi diù cum laude inseruierit, vt à laboribus cum bona quiete iam supersedeat, in aliquo Monasterio petierit assignari.

262. Si autem isdem à diuersis Prioribus petatur, vel in petitionibus cum pluribus conueniat, detur potius digniori, vel magis indigenti, vel potiori ratione postulanti, vt suprà.

263. Scandalosi, seditiosi, & discoli, qui vt communiter ab omnibus repudiantur, teneantur in Monasterijs maioribus sub Superioribus rigidis, & in strictiori clausura, si ita Præposito expedire videatur, vel in Monasterijs solitarijs, ad arbitrium, vt suprà.

264. In omnibus verò prædictis stetur nihilominus simpliciter iudicio, & determinationi Præpositi, & Definitorum, sicut tempore celebrationis Dietæ Præpositi, & Consultorum, ac extrà prædicta tempora solius Præpositi Generalis; iuxtà enim inueteratam Congregationis consuetudinem in manu, & eorum dispositione relinquimus prædictas assignationes, & mutationes faciendas, adhortando, vt suprà.

265. Eadem die à prandio ad idem congregentur. Ac postquàm prædictas Monasteriorum, & familiarum accommodationes perfecerint, relinquant in manibus Scribæ earum copiam, iuxtà ordinem Monasteriorum distinctam, ei iniungentes, vt iam cartam capitularem, ordinationes in Capitulo factas, Superiorum, ac Officialium electiones, & Monachorum, ac Fratrum assignationes exprimentem in forma consueta, vt infrà, distinguat, & efficiat.

CAPVT XXVIII.

De efficiendis septima die, scilicet de pecuniarum taxationibus per Definitorium faciendis; Et de litteris Benefactorijs, ac Decretis alienandi, permutandi, &c. concedendis.

266. DIe Dominico iterùm congregentur. Et determinatis alijs, si quæ determinanda supererunt, taxent singulis Monasterijs pecuniarum quantitatem, per ea, ac eorum Priores occasione expensarum nomine totius Congregationis in Romana curia, vel alibi effectarum, exsoluēdam, quæ non solent per communem Depositariam exsolui. Præscribant etiam quantitatem integrandam Monasterio, in quo celebratum est Capitulum, ob expensas occasione eiusdem Capituli factas. Et accersitis singulis Prioribus iubeant, vt statim eas persoluant; Quibus etiam tunc debebunt cōsignari sigilla, inuentaria, & pecuniæ propriorum Monasteriorum, si quæ per Procuratores initio Capituli fuerint depositatæ.

267. Determinent etiam, si opus fuerit, circà pecunias per Monasteria solita Depositariæ subministrandas, videlicet de quantitate, quæ augeatur, ac imminuatur secundùm expensarum decurrentium quantitatem; Ac etiā cœteris Monasterijs imponatur particularis portio, detracto tamen Monachorum numero, si aliter non possint sustinere; Vel aliter prouideatur, prout ipsis Definitoribus magis opportunum videbitur.

268. Proponant etiam, & definiant, an aliquibus concedendæ sint litteræ Benefactoriæ, quæ tamen non concedantur, nisi valdè de Congregatione nostra benemeritis, ac ei bene affectis. Et an præstandus sit consensus, vel interponendum Decretum pro venditionibus, permutationibus, aut alienationibus bonorum immobilium Congregationis, aut Monasteriorum. Qui non detur, nisi huiusmodi contractus sit in euidentem, & certam Monasteriorum vtilitatem, secundùm formam, vt infrà.

269. Forma litterarum benefactoriarum est. Nos D. N. Præpositus Generalis Congregationis Monachorum Eremitarum Diui Hieronymi, cæteriq; Definitores in nostro Capitulo Generali congregati, nobili, ac sapienti viro Domino N. de N. ac nobili matronæ. C. P. eius vxori, & eorūdem iugalium vtriusq; sexus filijs salutem, veramq; in Domino charitatē. Etsi lex Diuinæ charitatis vniuersaliter omnibus nos reddat affectos, & debitores; Illis tamen, quorū officijs, & beneficentia maiorem ergà Congregationem nostram in dies experimur animi propensionem, peramplius efficit deditos, & maiorem cogit repehendere gratiam. Vestris itaq; exposcentibus meritis, petitioni vestræ hac de causa nobis expositæ inclinati, auctoritate, qua ex officio nostro fungimur, nomine nostro, totiusq; nostræ Congregationis, harum perpetuò valiturarum serie vos, & quemlibet

bet vestrum in charitatis vinculo complectentes, in Confratrum nostrorum numero admittimus, ac suscipimus; Vtq; omnium Orationum, Missarum, Diuinorum officiorum, deuotionum, meditationum, contemplationum, sãctarum lectionum, piarum lachrymarum, eleemosynarum, ieiuniorum, abstinentiarum, disciplinarum, vigiliarum, carnis macerationum, obedientiarum, obseruãtiarum, cęterorumq; omnium bonorum operum, quæ per Monachos, vel Fratres totius nostræ Congregationis Diuina clementia in communi, vel particulari operari dignabitur, communionem, ac liberalissimam participationem libenter in vita pariter, & morte, & post mortem, impartimur, ac concedimus. Addentes, quòd cum obitus vester, vel alicuius vestrum (quem Deus fœlicem indulgeat) ad aures nostras, aut nostrorum successorum peruenerit, per vniuersum Ordinem nostrum particularia pro animabus vestris suffragia fieri mandabimus. In quorum fidem, & testimonium hasce nostras fieri, solitoq; officij nostri sigillo muniri mandauimus. Dat. in Monasterio N. Die mensis anni & subscribatur per Præpositum Generalem.

270. Exemplum Decreti interponendi pro alienationibus, vel permutationibus bonorum immobilium est. Nos D. N. Congregationis Monachorum Eremitarum Diui Hieronymi Præpositus Generalis, cœteriq; Definitores in Monasterio Sancti. N. pro Capituli nostri Generalis celebratione congregati, dilectis in Christo patribus Priori, Monachis, & Capitulo Monasterij nostri Sancti. N. salutem, veramq; in Domino charitatẽ &c. Nuper nobis exponi fecistis, Monasterium vestrum habere quandam portionem terrę arratoriæ, arboratę, vel pratiuæ, in territorio. &c. perticarum viginti, vel circà, cui cohęret à mane, à sero, à meridie, & à nulla hora &c. saluis &c. quæ si in alias terras cęteris eiusdem Monasterij terris viciniores, vel &c. permutaretur, aut alias venderetur, in maiorem, & euidentem dicti Monasterij cederet vtilitatem, super quibus licentiam à nobis prouidè postulastis. Nos igitur, qui ex crediti nobis officij debito omniũ, & singulorum nostræ Congregationis Monasteriorum, & locorum profectibus non solum spiritualibus, verùm etiam temporalibus, finè quibus spiritualia subsistere non possunt, quantùm possumus, libenter consulimus, permutandi dictam portionẽ terræ in alias terras, vel alia bona immobilia, seù etiam vendendi, dùmmodo prætium indè proueniens in aliorum bonorum immobilium emptionem totaliter conuertatur, harum serie, quantùm ex officij nostri, ac priuilegiorum nostrorum auctoritate nobis concessa possumus, rebus sic stantibus, facultatem impartimur, pro prædictaq; bonorum permutatione, seù venditione auctoritatem, & Decretum nostrum interponimus, accedente tamen etiam maioris, & sanioris partis vestri Capituli libero consensu, triplici tractatų confirmato, ac præhabito certo peritorum iudicio, quod contractus cedat in maiorem, ac euidentem, vt prædicitur,

vtilitatem,

vtilitatem, seruatisq; de iure seruandis, super quibus conscientiam vestram oneramus. In quorum fidem, & testimonium præsentes per infrascriptum Cancellarium nostrum fieri, & officij nostri sigillo muniri iussimus, manuq; nostra subscripsimus. Dat. in Monasterio N. Die &c. & subscribatur per Præpositum Generalem, ac eius Cancellarium de more.

271. Prædictæ litteræ, & facultates tempore Capituli concedantur per Præpositum, & Definitores; tempore Dietæ per Præpositum, & Consultores; extra prædicta tempora per Præpositum solum.

CAPVT XXIX.

De efficiendis octaua die, scilicet de Carta capitulari publicè perlegenda, ac absolutione Capituli Generalis.

272. Die Lunæ celebrata diluculo Missa de Sanctissima Trinitate ad gratias agendas, pulsetur ad congregandum Capitulum solemniter, & congregatis omnibus etiam non vocalibus in loco solito, per Scribam exhibeatur Patribus Definitoribus Carta capitularis iam digesta, & disposita, vt infra, immò copiæ sufficientes ad numerũ Monasteriorũ, per proprios Priores procurandæ, quas Præpositus, & Definitores singuli ex ordine subscribant, ac roborentur sigillo maiori Congregationis, & etiam manu ipsius Scribæ.

273. Tenor autem Cartæ Capitularis hic erit. In Nomine Domini, Am. Hæ sunt Definitiones, Ordinationes, & assignationes Capituli nostri Generalis celebrati de anno præsenti &c. in Monasterio &c. cœpti videlicet sub die &c. præsentis anni &c. & finiendi hodierno die &c. eiusdem mensis, & anni.

Primò confirmamus, approbamus, & quatenus opus sit, innouamus omnes, & quascunq; Ordinationes ab hinc retrò in Capitulis nostris Generalibus, & Dietis factas, vel tales, & tales, vel omnes præter talem, & talem &c. dummodo non aduersentur sacris Canonibus, Summorum Pontificum, vel Sacrorum, ac approbatorum Conciliorum generalium Decretis, aut Statutis nostris Apostolicis denuò confirmatis; Et mandamus sub pœnis in eisdem contentis, ac maioribus arbitrio Reuerendissimi Præpositi Generalis infligendis, vt ij, ad quos spectat, vel pro tempore spectabit, omni diligentia eas vna cum infrascriptis in præsenti nostro Capitulo Generali factis obseruent, ac obseruari faciant; ob idq; Priores statim ac ad propria Monasteria applicuerint, Capitulariter perlegi curent.

Secundò ordinamus &c. vel mandamus &c. vt in quolibet Congregationis nostræ Monasterio pro conseruatione Summi Pontificis, ac totius status Ecclesiastici dicantur tot Missæ &c. pro Conseruatione Illustrissimi Cardi-

nalis

talis Protectoris tot &c. pro conseruatione Imperatoris, Regis Hispaniarum, cæterorumq; Principum Catholicorum, ac totius status temporalis tot &c. Pro Fratribus, ac benefactoribus Congregationis defunctis tot &c. Et si occurrat, pro tali, vel tali tot &c. mandamusq; per vniuersam nostram Congregationem tales, vel tales orationes ad talem, vel talem effectum fieri &c.

Deinde ponantur per ordinem ordinationes cultum Diuinum, ac spiritualium ministerium concernentes, & postea quæ ad temporalium administrationem pertinent; Ac tandem vltimo loco addantur electiones Officialium, & Monachorum assignationes hoc modo.

Demùm circa Superiorum, & Officialium electiones, & Monachorum, ac Fratrum assignationes sic disponimus. Primò Reuerendissimum Patrem D. N. in præsenti nostro Capitulo Generali in Pręposit um Generalē totius nostræ Congregationis, ac Ordinis canonicè, ac ritè electum, publicatum, & receptum eligimus, & assignamus in Priorē Monasterij istius Sancti Petri de Hospitaletto Laudensis &c. In Vicarium eiusdem Monasterij D N. in Oeconomum D. N. in Subœconomum D. N. In Conuentuales verò Don &c. & ponantur sigillatim per ordinem, primò Sacerdotes, secundò Clerici professi, tertiò Nouitij, quartò Conuersi, Commissi, & Oblati. In Priorem verò Monasterij Sāctorum Bonifacij, & Alexij de Vrbe Reuerendum Don &c. In eius Vicarium Don &c. In Oeconomum &c. In conuentuales verò &c. & sic fiat de singulis Monasterijs secundum illorum ordinem. Deindè ponantur cœteri Officiales, & graduati hoc modo. In Procuratorem verò Generalem totius Congregationis in curia Romana Reuerendum Don &c. In Visitatores prędictæ Congregationis Reuerendos D. N. & D. N. &c. In Consultores Reuerendissimi Præpositi Generalis Reuerendos DD. &c. In Depositarios nostræ Congregationis Reuerendos DD. &c. In Magistrum Nouitiorum Patrem Don &c. In examinatores pro admittendis ad prędicationem verbi Dei, curam animarum, confessiones, & ordines, & officium lectoris Reuerendos DD. &c. pro partibus Lombardiæ, & DD. &c. pro Prouincia Romana. Pro admittendis ad habitum nostrum, qui excesserunt ætatis annuum 16. cum Reuerendissimo Præposito Generali Reuerendum Patrem Priorem talis Monasterij, ac talis, & talis &c. Mandamusq; in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, & alijs pœnis Reuerendissimo Præposito arbitrarijs, omnibus, & singulis personis supradictis, vt officia huiusmodi sinè aliqua mora, excusatione, vel reclamatione tamquàm boni obedientes, ac filij humiles acceptent, & eadem, prout tenentur, debitè exequantur. Ad laudem Omnipotentis Dei, qui est benedictus in sæcula. Dat. in prædicto Monasterio &c. Die, mense, & anno suprascriptis.

974. Supradictis igitur capitularibus, ac cunctis, vt prædicitur congrega-

tis,

tis, & ex ordine ſedentibus, ſcilicet Reuerendiſsimo Præpoſito Generali in capite, & Patribus Definitoribus, ac Prioribus ſecundum Monaſteriorum ordinem hinc indè apud eum, & deinceps reliquis graduatis; Scriba ad mãdatum Præpoſiti alta, & intelligibili voce, cunctis attentè audientibus, perlegat Cartam capitularem. Qua perlecta, Præpoſitus iterùm oretenus innouet præceptum de acceptandis, promptèq; exequendis officijs, muneribus, & obedientijs per Capitulum Generale iniunctis; Iubeatq; vt quamprimùm ad propria Monaſteria, ac aſsignatas deputationes ſinguli accedant. Et adhortetur, vt orationes, & Miſſæ tàm pro viuis, quàm pro defunctis per Capitulum Generale aſsignatæ dicãtur, ac tàm in communibus, quàm priuatis ſuffragijs habeatur particularis, & frequens memoria Congregationis, eius Prælatorum, Fratrum, ac benefactorum.

275. His peractis, omnes genuflexi dicant, Confiteor &c. & detur abſolutio generalis per Præpoſitum in forma conſueta dicendo, Miſereatur veſtri &c. Indulgentiam &c. Et ſtatim erecti procedant proceſsionaliter bini, & bini ad Eccleſiam, laudem Deo dantes, & dicentes alternatim per Choros pſalmum, Laudate Dominum de cœlis &c. ac eo finito, dùm ſunt omnes in Eccleſia genuflexi, dicatur per Præpoſitum.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto ſpiritu. ℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vſq; in ſæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cùm ſpiritu tuo.

Oremus.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulis tuis, & dirige eos ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ, vt te donante, tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. Amen.

276. Et ſic diſſoluatur Capitulum, & nulla deinceps remaneat Definitoribus poteſtas, niſi ad faciendum in principio Capituli generalis ſubſequentis, quæ prænarrata ſunt. Si autem negotiorum cumulus, aut difficultas cogeret, vt Capitulum per plures dies protraheretur, aut ordo dierum, & ſeſsionum expoſitus variaretur, vel ſeſsiones multiplicarentur, hoc minimè prohibemus. Sicut nec etiam, quod dignis de cauſis citius perficiatur.

CAPVT

CAPVT XXX.

De forma tenenda in habendis Dietis, seù Congregationibus annualibus.

278. Dieta, seù Congregatio annualis habenda per Præpositum, & Cõsultores, vt in Statutis, habeatur hunc in modum. Congregentur prædicti singulo anno tempore præfixo, vt supra, in Monasterio Præpositi Generalis, & die Lunæ celebrata Missa de Spiritu sancto, cui prædicti interueniant, incipiatur. Ac primò per Præpositum proponatur sigillatim quæcunq; grauia infrà annum occurrerunt, si alias nõ fuerint determinata, simul conferantur, discutiantur, & concludantur secũdùm pluralitatem sententiarum, vt suprà. Deindè si quæ occurrunt ordinanda, similiter per Prępositum, vel aliquem ex Consultoribus proponantur, & discutiantur, & si digna videantur, votis secretis subijciantur, & admissa saltem per duas ex tribus Consultorum partibus, vt suprà, in Ordinationes inducantur.

279. Admonemus tamen, quòd sicut non tantùm in Dietis, sed etiam in Capitulis Generalibus non sunt multiplicandæ Ordinationes sinè euidenti necessitate, hoc est vel ad euitandum aliquod commune malum notabile, quòd aliter euitari non posset, vel ad aliquod similiter maius bonum inducendum, quòd aliter non induceretur; Ità multò magis in Dietis, & Congregationibus huiusmodi annualibus, est, quantùm fieri potest, ab hoc abstinendum, sed potius circà earum obseruantiam insistendum; factæ tamen valeant, & ad exequtionem demandentur, vt dictum est de ijs, quæ fiunt in Capitulis Generalibus.

280. Posteà exhibeantur, si quæ fuerint supplicata, proposita, vel producta, concernentia Congregationem, Monasteria ipsa, vel eorum Officiales, aut personas subditorum; discutiantur, & determinentur, vt suprà.

281. Deindè deueniant ad mutationes, ac nouas electiones Officialium, quas faciant iuxtà tenorem Breuis Greg. XIII. & verbum ex Statutis ponderandũ. Quatenus scilicet expediat, proponente semper & mutandos, & de nouo eligendos Pręposito Generali; Et ideò si Officiales rectè in proprijs officijs se gerunt, si de eis proprij Priores non conquæruntur, vel non sit alia rationabilis, & euidens causa, & maximè si Monasterijs sint proficui, adhortamur Præpositum, & Consultores, ac in hoc eorum conscientias pręcipuè oneramus, vt eorum mutationes non faciant, aut ab illis officia non auferant. Fiant verò prædictæ Officialium electiones eodem modo, sicut de electionibus in Capitulo Generali dictum est.

282. Tandem deueniant ad mutationes subditorum, ac eorum assignationes, à quibus mutationibus etiam abstineant, quantùm fieri potest, vt parcatur sumptibus Monasteriorum, & abs re Superiores, & subditi nõ contristentur, ac familiarum quies, & fraterna charitas non conturbetur; Et

T ideò

ideò non fiant, nisi ad euitanda scandala, vel conuenientibus Superioribus, vel ad effugiendum aeris intemperiem occasione infirmitatum, aut alia de causa rationabili.

283. Quibus peractis per Cancellarium Prępositi Generalis distinguatur Carta continens Ordinationes, electiones, ac mutationes prædictas. Quæ subscripta per Præpositum, & Consultores, & maioris sigilli Congregationis impressione roborata, perlegatur præsente toto Conuentu, ad signum campanulæ de more congregato, & sic Dieta dissoluatur. Et mittatur singulis Monasterijs copia Ordinationum cum annotatis mutationibus, ac nouis electionibus, vel assignationibus ad ea spectantibus, subscripta per Præpositum, & sigillo Congregationis, vt suprà, roborata, perleganda statim capitulariter, & exequtioni demandanda, sic instantibus, ac mandantibus proprijs Prioribus.

284. Prædictę verò actiones fiant secundùm ordinem, vt suprà, per tres dies, quibus debet, vt communiter, continuari Dieta, & plures, ac sępius iteratas sessiones, prout opus fuerit, quæ per Cancellarium Prępositi secūdum ordinem, quo fiunt, registrentur, & in libro actuum Capitularium actitētur, & Carta in Registro referatur, vt suprà.

CAPVT XXXI.

De dispositione propriæ familiæ per Priores initio eorum regiminis facienda.

285. Absoluto Capitulo, studeant Priores à suis prædecessoribus notā fidelem pecuniarum, à proprijs Monasterijs pro expensis itinerarijs, ac Capitularibus exportatarum, necnon expensarum prædictarum propria eorundem Priorum manu subscriptam, ac etiam pecunias ipsas, si quæ superęrint (quæ omnia sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per triennium statim incurrenda, ac alia maiori ad arbitrium Præpositi statim consignare teneantur) sibi restitui; Ac etiam copiam cedulæ Capitularis authenticatam, & Monasterij sigillum, & Inuentarium à Scriba Capituli pręhabere. Et sic, quantùm fieri potest, vnà cum Monachis corū obedientiæ assignatis, ad propria tendant Monasteria.

286. Vbi debita cum reuerentia excepti, postquàm Ecclesiam deuotè visitauerint, & se ab impedimentis itinerarijs exemerint, iubeant Monachos, & Fratres ad sonum campanulæ de more congregari capitulariter, eisq; cedulam capitularem publicè legi, ac inthimari, iniungentes in virtute sanctæ obedientię, & sub pœnis Reuerendissimo, & sibi Arbitrarijs, vt quantocyus vnusquisq; ad Monasterium sibi per Capitulum Generale assignatum dirępto itinere tendat. Et statim omnes antè proprium Priorem genuflexi,

in

in signum obedientiæ, & reuerentiæ eius deosculentur manus. Nec deinceps Officiales veteres, aut rerum Monasterij quo pacto curam habentes, nisi de speciali Prioris prædicti licentia, vel mandato in aliquo se penitus intromittant.

287. Curet per Monachum, qui tempore Capituli Monasterio præfuit (ad quod sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per biennium teneri ipsum volumus,) cuncta in Inuentario descripta resignari. Et si præter quantitatem competentem, durante Capitulo in Monasterij vsum rationabiliter exhibitam, quidpiam defecerit, is, cuius custodię id erat demandatum, teneatur ad pęnam doli, ac Superior ipse corrigatur de negligentia, nisi aliter se iustificauerint.

288. Nullum Monachum, aut Fratrem à Monasterio recedere, aut libros, & suppellectilē ad vsum concessam remoueri volumus, nisi de speciali Prioris licentia, & facto prius, si ei videatur, scrutinio. Hoc enim omnibus, etiā Officialibus recedentibus sub pœna strictioris clausuræ per annum, ac remotionis prædictarum rerum mandamus.

289. Expensis, quæ fiunt per Monachos, & Fratres in adeundo Monasteria eis ex obedientia assignata, ac in deducendis libris, & suppellectilibus prædictis, satisfiat per Monasteria, quibus assignantur, dùmmodo sint rationabiles, & moderatæ, attenta præsertim personarum qualitate, & locorum distantia: Quantitatem tamen vt communiter pro singulo oneris equi itinerarij excedere non permittimus, si assignatio sit intrà Monasteria Lombardiæ, & si extrà, dimidium, vel etiam minus, & dummodo assignationes ex demerito, & in pœnam non sint factæ.

290. Cùm primùm Monasterio aduenerint omnes assignati, capitulariter Prior iniungat obedientias, distribuatq; munera, prout bono Monasterij regimini magis expedire maturè dijudicabit. Quæ tamquàm media ad exercitium humilitatis, & obedientiæ, & ad meriti augumentum, ab omnibus prompto animo acceptari, & debitè exequi in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis eisdem Prioribus arbitrarijs mandamus.

291. Instituat primò Confessarios ad audiendas Monachorum, ac Fratrū confessiones Sacramentales, ex peritioribus, ac probioribus, facto etiam periculo de eorum sufficiētia per Deputatos ad id muneris per Capitulum Generale, alioquin per ipsummet Priorem, vel alium idoneum ad eius præsentiam, nisi aliter de hoc constet. In sufficienti numero pro Monachorum quantitate, ità ut saltem nullus vnico tantùm Sacerdoti confiteri cogatur. Diuersos etiam, si ità expedire dijudicabit, pro subditorum diuersitate, vt alios pro Nouitijs, alios pro professis Clericis, alios pro Sacerdotibus, & alios pro Laycis Fratribus. Reseruabit etiam sibi eorum casuum absolutionem, quos potissimum pro saluberiori animarū directione expedire prudenter animaduertet; Seruatis tamen ad vnguem, quæ ex Decreto Clemen-

tis Octaui, circà casuum reseruationem per Regularium Superiores faciendam, emanato sub die 26. Maij 1593. & in nostra Congregatione publicato, & recepto in Capitulo de anno 1594. præcipiuntur. Prędictorum Confessorum, & casuum reseruatorum notam propria eius subscriptione, ac Monasterij sigillo roboratam apud confessionum locum, vel Sacrastiam publicè affigi, ac ità permanere iubebit, vt quotiescunq; fuerit opus, possit ab omnibus Monachis liberè inspici, & videri. Moneat etiam præsertim Confessarios, vt non tantùm à sibi particulariter reseruatis, vt suprà, sed nec etiam ab illis censuris, quæ ex iure ipso Superiori sunt reseruatæ, sinè eius licentia speciali, qualibet vice obtinenda, absoluant. Hanc tamen facultatatem, cum Priorem extrà Monasterium pernoctare contingerit, volumus Vicario, vel eius locumtenenti committi, alioquin actu ipso in eum emanare declaramus, vt quolibet euentu possint subditi sinè aliquo impedimento proprias conscientias liberè exonerare.

292. Si Monasterij Ecclesia sit cum cura animarum, vel ei alia sit vnita, cui animarum cura incumbat, nisi Capitulum Generale, aut Præpositus de hoc disposuerint, præficiat ei, præuio examine, ex Sacerdotibus suis aliquē probum, & prudentem, & ità in Sacra Theologia, vel iure Canonico, aut casibus conscientiæ versatum, vt ab Episcopo Diœcesano (cui iuxtà Sacri Cōcilij Tridentini cap. 11. sess. 25. determinationem, Curati Regulares, antequàm animarum curam exerceant, pro examine sunt subijciendi, & ab eo approbandi) valeat sinè difficultate admitti. A qua tamen regula ex eodem Concilio ibidem, est exemptus Curatus Ecclesiæ nostræ Hospitaletti, cùm enim Monasterium huiusmodi sit caput Ordinis, ac sedes Reuerendissimi Patris Generalis, sufficit quòd à Reuerendissimo nostro proponatur, probetur, & admittatur, sicut etiam alij Confessores pro eadem Ecclesia.

293. Si etiam opus erit, pro Ecclesiarum conditione, & pœnitentium numero, præuio examine, vt suprà, præponat sæcularium confessionibus audiēdis alios Sacerdotes, eisdem ferè qualitatibus præditos, qui etiam Diœcesanorum examini subijciendi, ac ex cap. 15. sess. 25. Concilij Tridentini per ipsum ad tale munus erunt admittendi.

294. Subiaceant huiusmodi Curati, & Confessores prædictis suis Prioribus, etiam in ijs, quæ pertinent ad curam animarum, poteruntq; ab eis non solum puniri, verùm etiam (nisi aliter per Capitulum Generale, vel Præpositum fuerit specialiter determinatum) ab officio amoueri: Ob idq; debebunt Priores circà hoc præsertim inuigilare, vt tantò muneri probè, & ex conscientia satisfaciant.

295. Instituat etiam, & eligat duos ex Sacerdotibus prouectioribus, vel dignioribus, ad eius iudiciū (dùmmodo aliter à Reuerendissimo Præposito Generali non sit dispositum) in Capsores, cùm approbatione etiam proprij Capituli: Qui iuxtà Ordinationes in viridi obseruantia, vnà cū Prio-

re apud se custodiant claues diuersæ clauaturæ Arcæ communi Monasterij impositas, præsentesq; sint, cum pecuniæ sunt immittendæ, vel extrahendæ, ac expensarum ab Oeconomo effectarum notas examinent, approbent, & subscribant, vel reprobent, vt fusius ex prędictis ordinationibus.

296. Deputet etiam, vt suprà, Monachum Sacerdotem, qui librorum Magistralium curam habeat, in tali arte versatum; Ad quem pertineat prædictos libros iuxtà probatam in Congregatione methodum dirigere, propriaq; manu in eis notas omnes tàm dati, quàm accepti fideliter, ac diligenter describere. Ac alium Monachum, qui singulo mense capitulariter ex prædictis libris expensarum notas perlegere, iuxtà easdem Ordinationes, debeat.

297. Desſignet etiam, vt suprà, duos, si opus fuerit, qui apud se claues diuersæ quoq; clauaturæ Monasterij horreis impositas custodiant, pręsentesq; sint, cum segetes sunt exportandæ, vel inferrendæ, ac tàm extractorũ, quàm inductorum notas apud se conseruent, per Priorem, & Capsores examinandas, & approbandas, & per prædictum Monachum in libris Magistralibus referendas.

298. Instituat quoq; Monasterij Ianitorem, Fratrem aliquem ex Laycis, vel Monachum, ad eius iudicium; Cui curæ sit Monasterij Ianuas, quotiescunq; opus fuerit, adaperire, ac temporibus debitis occludere, peregrinosq; & hospites, vel Monachos aduenientes iuxtà Prioris mandatum introducere; clauesq; prædictas in loco tuto custodire, vel etiam nocturno tempore apud Superiorem, si ipse ità iubeat, dimittere, eleemosynam pauperibus ad Monasterij ianuas erogare, cœteraq; alia, iuxtà Monasteriorũ consuetudinem, ac Prioris dispositionem præstare.

299. Præficiat alium Promptuario, ac alium Cellæ vinariæ, quorum munus erit, eorum curæ demandata diligenter, ac fideliter custodire, & cùm opus erit, ac iuxtà Superioris dispositionẽ, cùm charitate subministrare, ac tàm inducta, quàm emissa, & eorum quantitatem singulariter adnotare, vt cùm opus fuerit, possint se apud Superiorem iustificare, & de omnibus rationem reddere.

300. Alium quoq; proponat Draparię, seu communi Vestiario, cui suppellectilia omnia Dormitorij, ac communis mensæ consignanda curabit, per eum debita diligentia custodienda, ac quibus opus fuerit opportunis temporibus eroganda.

301. Præficiat quoq; Hospitio alium, vel duos, si ità expedire viderit, alterum Sacerdotem, & alterum ex Laycis Fratribus, vel iunioribus, qui rerũ in talem vsum deputatarum custodiam habeant, ac hospitibus benignè, & diligenter inseruiant, vt proprio capite.

302. Proponat alium Valetudinario, vel duos, vt cap. 14. de infirmorum, & ægrotantium cura.

303. Refectorij quoq; , ac communis mensæ alicui Layco, vel ex Clericis iunioribus curam demandet, sub cuius custodia sint cuncta ad talem vsum spectantia, ac is mensam apponat, & reponat, locumq; ipsum, & cuncta diligenter perlustret, & emundet.

304. Sacrastiæ etiam curam iniungat Monacho in sacris constituto, si fieri possit, alioquin ex Clericis iunioribus, cui ex Priuilegijs nostris licentiam vasa sacra hac occasione tangendi, & tractandi cōcedere poterit. Et si opus erit, ei coadiutorem ex Laycis adiungat, qui in seruitijs vilioribus inseruiat. Eius munus erit Ecclesiastica paramenta, ac ornamenta, cunctaq; Diuinum cultum concernentia, summa cum diligentia, & decentia custodire, ac debitis tēporibus immutare, disponere, & subministrare, cœteraq; omnia, quæ ad functiones in Ecclesia, vel Choro, aut Capitulo obeundas pertinēt, secundùm praxim in Congregatione inductam dirigere. Circa quæ præsertim euigilabit Vicarius.

305. Prædictis dispositis, cūcta pro prædictorum munerum vsu sigillatim consignari faciat, Inuentariaq; propria manu eorum, quibus committūtur, subscribi; vt possint, cum à prædictis officijs amouebuntur, eadem resignare, & restituere, & singulorum rationem reddere.

306. Eosdem etiam adhortabitur, immò eis ex obedientia iniunget, vt diligentes in prædictis muneribus obeundis se prębeant, nullusq; in messem alienam, vt dici solet, nisi de speciali Superioris mandato, manum mittat; Præter Vicarium tamen, & Oeconomum, qui non solum officia eis à Capitulo Generali iniuncta accuratè, & debita cum diligentia exequantur, Vicarius scilicet dirigendo præcipuè quæcunq; Chori, & Ecclesiæ seruitium, & vniuersaliter spiritualium directionem, rectamq; iuniorum in Monastica disciplina educationem spectant; Oeconomus verò insistendo circa temporalia, eorumq; rectam administrationem; Sed etiam super alios Officiales sibi respectiuè subordinatos, ac eorum officia inuigilent, ac in proprijs officijs sibi inuicem deferant. Quamuis Vicarius, absente à Monasterio Priore (nisi Prior aliter disposuerit, vel in aliquibus eius auctoritatem limitauerit) in omnibus eius vices gerere debeat.

307. Si etiam expedire dijudicabit, Ordinationes particulares pro bono Monasterij, & familiæ regimine efficiet, quæ secundùm diuersos subditorū status facienda, vel euitanda erunt concernentes, propositis etiam particularibus pœnis; Quas in scriptis redactas, & propria eius manu, & Monasterij sigillo autenticatas, publicari faciat, & vnà cum alijs toti Congregationi communibus Statutis temporibus capitulariter legi, & diligenter obseruari.

308. Ipse verò, vt omnium Custos, ac director, præsertim super omnes inuigilet, cadētes statim erigat, benè progredientes confirmet, Et, vt in Regula, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens

tiens

tiens sit ad omnes &c.& in omnibus se præbeat exemplum bonorum operum &c.

CAPVT XXXII.

Circà Visitationes, & primò de forma tenenda in eis instituendis, ac de præceptis per Visitatores imponendis.

309. Visitatores à Capitulo Generali electi, cum tempore per Definitorium, vel Præpositum Generalem præfigendo generales eorũ Visitationes in Monasterijs sibi per prędictos designandis instituere debebunt, acceptis litteris patentibus, eorum auctoritatem exprimentibus, bini, & bini, secundùm designationem, vt suprà faciendam, cùm ea decentia, quæ huic muneri conuenit, ad Monasterium primò ab eis visitandum accedant. Ac postera die sui aduentus, decantata Missa Sancti Spiritus, vbi cõmodè pro Monachorum numero fieri potent, vel saltem dicta: Cui ipsi, & omnes de Monasterio conueniant, iubebunt, omnes Monachos, & Fratres ad sonum campanulæ de more capitulariter congregari; Et eis per Visitatorem maiorem aperta, ac exposita eorum aduentus in Monasterio causa, statim genuflexi supernum Diuini spiritus auxilium inuocabunt dicentes alternatim per Choros psalmum. Ad te leuaui oculos meos &c. & in fine Kyrieeleyson. Christeeleyson Kyrieeleyson. Et Pater noster. secretò. Deindè visitator maior, dicat.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte nobis auxilium de sancto. ℟. Et de Syon tuere nos.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Emitte spiritũ tuũ, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.
℣. Domine exaudi orationem meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt nos famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abundare.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, dà nobis famulis tuis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum

viuit

viuit, & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

310. Quibus dictis, ac per ordinem cunctis sedentibus, Visitatoribus scilicet in loco digniori, & propè eos Priore, & reliquis successiuè, per digniorem Visitatorum habeatur sermo congruus de institutionis causa, seù de fine Visitationis, vel de vtilitatibus indè prouenientibus; idest vt mores reformentur, vt regularis obseruantia conseruetur, & subditorum ergà proprium Pastorem obedientia, & reuerentia, ac illius ergà subditos sollicitudo cum dilectione in suo esse persistant, contrariæq; dispositiones radicitus euellantur, & prout magis expedire animaduerterit. Et deindè alter Visitatorum litteras patentes sibi vt suprà datas inthimabit, quę vt communiter erunt infrascripti exempli.

311. Nos D. N. Congregationis Monachorum Eremitarum Diui Hieronymi Prępositus Generalis &c. Dilectis Patribus Prioribus, Vicarijs, Oeconomis, Monachis, & Fratribus, & alijs quibuscunque personis Monasteriorum nostrorum Sanctorum Hieronymi de Castellatio, &c. salutem, veramque in Domino pacem. Quoniam ad officium nostrum pertinet, ità vigilanter agere, vt in Religione nostra ea, quę sunt benè ordinata, custodiantur, & errata, si quę sunt, corrigantur: Ideò cupientes, quantum in Domino possumus, muneri nostro satisfacere, mittimus ad vos RR. Patres D. N. & D. N. ambos professos, & Sacerdotes, & in proximo nostro Capitulo Generali in Visitatores dictæ Congregationis electos &c. Quibus quidem Visitatoribus vices nostras committimus, dantes eis plenam potestatem, & omnimodam Officij nostri facultatem super omnibus, & singulis Prioribus, Vicarijs, Oeconomis, cœterisque Monachis, Fratribus, & personis quibuscunq; præfatorum Monasteriorum; tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, & tàm in capite, quàm in membris; Videlicet visitandi, corrigendi, puniendi, priuandi, necnon omnia; & singula faciendi, exercendi, & disponendi super quibuscunq; negotijs, & rebus, quæ, nostro durante Officio ipsi facere, exercere, & disponere medio tempore personaliter possumus, secundum formam Ordinum, Statutorum, & Constitutionum nostræ Congregationis. Hoc tamen excepto, quod nullum priuare possint Priorem, nec aliquem Monachum, aut Fratrem habitu spoliare. Mandantes propterea, ac districtè præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis nobis arbitrarijs prædictis omnibus, & quibuscunque Monachis, & Fratribus, vt eosdem RR. PP. Visitatores benignè excipiant, & venerentur, eisque promptè pareant, & obediant. In quorum fidem has nostras patentes litteras per infrascriptum nostrum Cācellarium fieri, & nostrę Congregationis solito sigillo muniri mandauimus, manuq; nostra subscripsimus. Dat. in Monasterio N. die mensis anni

Subscribanturq; per Reuerendissimum, & in calce per Cancellarium.

312. Si

312. Si erunt datæ à Definitorio, fiant secundùm eandem formam, mutatis mutandis. Sicut etiam, si erunt datæ Visitatoribus, aut Commissarijs extraordinarijs ad aliquam causam particularem, vel ad quaslibet causas in eodem Monasterio, vel pluribus occurrentes, facta tamen expressione causæ, quæ impellit ad tales Visitatores, vel Commissarios mittendos, ac auctoritatis, quæ conceditur.

313. Posteà, loquente maiore Visitatore, in virtute sanctæ obedientiæ, & alijs pœnis eis arbitrarijs, etiam quatenus opus sit, specialiter exprimẽdis, auctoritate sibi à Deo, & Capitulo Generali, aut Pręposito data, omnibus, & singulis Monachis, & Fratribus, ac etiã Priori præcipiãt, vt in actu visitationis quorũcũq; habuerint notitiã, vel Monasterij statum in generali, vel personas, & officia, siuè Prioris, siuè aliorum concernant, veritatem liberè aperire velint, non amore, aut timore alicuius quidpiam occultando, nec etiam odio, inuidia, vel alio prauo animi affectu, cuipiam falsa opponendo, vel quoquo pacto contra veritatem deponendo. Protestantes potissimum, quod aliter, præter æternum supplicium, quod apud supræmum Iudicem sinè occultationis, aut euasionis spe eos manebit, seuerissimè etiam, ac cùm disciplinæ rigore ab eisdem Visitatoribus punientur.

314. Eodem pacto quoq;, & sub eisdem pœnis iniungant, nè conuenticula, coniurationes, aut tractatus circà visitationem inter se faciant, se inuicẽ seducentes ad aliquem falsò coram Visitatoribus deducendum, aggrauandum, aut subleuandum, aut quoquo pacto persuadentes, vel de hoc tractantes. Sic nè ludibrio visitationem habentes, fabulam de ea, vel de Visitatoribus faciant. Et tandem, vt quæ occasione visitationis sub sigillo secreti demandata habuerint, ac etiam absolutè, si indè scandalum, aut diffammatio Monasterio, vel alicui possit euenire, alijs non comunicent.

315. Iubeant etiam, per Priorem sibi exhiberi cedulam, à præteritis Visitatoribus occasione visitationis in Monasterio dimissam, necnon copiam Ordinationum, si quæ ab eis fuerint habitæ, vt si ordinata adimpleuerint, dignoscant; Et sic è Capitulo recedant, visitationem iàm actualiter aggressuri.

CAPVT XXXIII.

Quæ sunt per Visitatores visitanda.

316. VIsitent igitur primò Ecclesiam hoc ordine. Primò sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum. Deindè locum, in quo asseruantur sacræ reliquię, ac oleum sanctum pro infirmis. Et si Ecclesiæ incumbat animarum cura, etiam baptismale, & cuncta ad ipsam pertinentia. Posteà singula Altaria incipiendo à maiori. Demùm totam Ecclesiam. Et circà

ſingula diligenter perquirant, & exactè inueſtigent, ſecundùm formam in Congregatione à peritis vſitatam, & ab iis, qui formularia viſitationis ediderunt præſcriptam. Teneantur etiam ex ordinationibus de anno 1602. alias Eccleſias Monaſterijs vnitas viſitare, & omnia, quæ ad eas ſarctas, tectas, tuendas, conſeruandas, & ad earum ornamentum, & decorem neceſſaria videbuntur, ſingulari ſtudio curare.

317. Secundò viſitent Sacraſtiam, & cuncta in ipſa pro vſu Sãctiſsimi Sacrificij, vel ſeruitio Eccleſiæ aſſeruata, vt paramenta, calices, Miſſalia, & cætera omnia ſecundùm formam, vt ſuprà. Et maximè attendant, an debita cum diligentia, & munditia per Sacriſtam teneantur, & in honeſta ſufficientia per Superiorem ſuppeditentur. Viſitent quoq; Oratorium, locum ſcilicet, in quo Sacerdotes antè, & poſt celebrationem ſolent orare; Lauatorium, locum nempè, in quo ſolent Sacerdotes occaſione, vt ſuprà, manus abluere; Confeſsionale, in quo ſolent Monachorum confeſsiones audire, & perquirant, num adſint cuncta, ad ea ſecundùm bonum vſum, & praxim, vt ſuprà requiſita. Viſitent quoq; Chorum, & indagentur præſertim; An adſint libri in ſufficienti numero, & quantitate ad canendum, & pſallendum &c.

318. Tertiò viſitent communes officinas, nempè Hoſpitium, Valetudinarium, commune Veſtiarum, & alias, & percunctentur maximè, an quibus eorum cura incumbit, ſuis muneribus probè ſatiſfaciant, & cum charitate inſeruiant; Et ſi quæcunq; neceſſaria adſint, & ſecundùm vſum in Congregatione probatum ſeruentur. Viſitent quoq; Monaſterii communem Bibliotecam, & præſertim inquirant ex librorum indice, an adſint libri prohibiti, ſuſpecti, aut etiam indecentes, & obſceni, ſicut etiam in Cellis particularibus Monachorum, & ſi debita cum diligentia cuſtodiantur. Viſitent etiam ludum litterarium, ac de omnibus ad ſtudia attinentibus diligenter percunctentur, vt de horis lectionum, de forma, de Magiſtrorum peritia, ac ſolertia, de diſcipulorum ingenio, progreſſu, labore, & ſimilibus. Immò de eis periculum faciant, vel medijs examinibus proprijs, vel ad eorum præſentiam per Magiſtros, vel diſputationibus, vel ſimilibus. Et ſi adinueniãt, aliquos ignauia, vel ingenij hebetudine laborare, arguant, puniant, corrigãt, ſtudendi etiam facultate, ſi de eorum reſipiſcentia deſperetur, priuent. Studioſos verò, & proficientes promoueant, ac honeſtioribus etiam priuilegijs, & gratijs ad virtuoſam emulationem excitandã cohoneſtent, & omnem deniq; operam in hoc impendant, vt ſtudia in noſtra Congregatione promoueantur, & Monachi ſcientijs, & virtutibus decorẽtur. Viſitent quoq; ſingulas Monachorum Cellas, in locis etiã ſecretioribus indagantes, & ſcrutinia facientes. Et ſi adinuenerint veſtimenta indecentia, libros prohibitos &c. ornatus Cellarum ſuperfluos, vel ſæcualres, vel quidpiam contrà Conſtitutiones, aut bonum Congregationis vſum, illud prohibeant, auferant,

rant, admonentes, corripientes, & etiam punientes, prout eorum prudentiæ opportunius videbitur.

319. Quartò, in libris Magiſtralibus redditũum, & prouentuum Monaſterij, eis per Priorem ſubminiſtrandis, ſcrutentur accuratè circà adminiſtrationem bonorum temporalium; Num redditus fideliter exigantur, & impendantur, ac in libris prędictis, non per Priorem vel Oeconomum, ſed ſolum per Monachum, cui particulariter eſt hoc munus iniunctum, ſecundùm rationem dati, & accepti annotentur, & ſecundùm artem in Congregatione vſitatam prædicti libri dirigantur. Num adſint expenſæ malitioſæ, ſuſpectæ, duplicatæ, irrationabiles, contrà bonum vſum Congregationis, & Monaſteriorum, nimis graues &c. & perquirant præſertim, ſi Monaſteriũ manet debitis aggrauatum, à quibus non poſsit ſe ſubleuare; Quòd cùm repererint, calculent diligenter ſingulas expenſas, vt attenta familiæ quantitate, temporum qualitate, & cęteris circunſtantijs, collataq; eius cum pręcedentium Superiorum adminiſtratione, poſsint dignoſcere; An hoc ex malo Superioris illius regimine, vel aliundè procedat, & vlterius opportunum huic malo remedium adhibere. Deducantq; potiſsimum ex libris cuiuslibet Monaſterij debitorum, & creditorum omnium ſummam, facta etiam earum ſupputatione, in actibus viſitationis inſerendam, vt Prępoſito Generali, & Definitorio, cum opus fuerit, valeant ſtatum omnium Monaſteriorum referre, & quotieſcunq; opportunum erit, de repertis in viſitatione rationem reddere.

CAPVT XXXIIII.

Super quibus Viſitatores debeant Monachos interrogare, & quomodo debeant viſitationes terminare.

320. IVbeant deindè, ſingulariter ad ſe vocari Monachos, & Fratres, & innouato pręcepto, vt ſuperius de veritate dicenda, interrogent quemlibet eorum, ſi habet aliquid dicendum, & coram ipſis Viſitatoribus deducendum, quòd concernat gubernationem Monaſterij, tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, vel officia, aut etiam perſonas ſingulorum. Deindè interrogent ſingulariter ſi ſciant, habitas eſſe pactiones, aut tractatus, vel promiſsiones inter aliquos propriç conſcientiæ conſcios, viſitationẽ timentes, vel aliter. Si exequtioni fuerunt debitè demandata per præteritos Viſitatores ordinata. Deindè circà ſpiritualia inquirant, ſi totum officium, & omnes horæ Canonicæ iuxtà Rubricas Breuiarij, ac proprias Cõſtitutiones, & Monaſterij obligationes dicuntur debitis horis, ac debito modo in Choro, cùm omnium, etiam Officialiũ, ac Prioris, niſi actu in proprijs officijs ſint occupati, vel infirmitate, aut alio neceſſario impedimento

detenti, præsentia. Si Sacerdotes omnes diebus festiuis quotidiè, ac alijs frequenter celebrent, & Clerici, ac Layci Fratres sæpè, secũdùm Cõstitutiones, sacra Eucharestia reficiantur. Si seruetur quòd ex Ordinario præcipitur de Confessoribus, Casibus reseruatis, diebus, quibus Priores facere debent officium, & quibus cùm ministris paratis est decantandum, de oratione mentali, culpis dicendis, lectionibus in Capitulo habendis, silentio seruando, & similibus. Et circà temporalia, vt si Prior, & Oeconomus sint fideles, ac diligentes bonorum temporalium administratores. Si seruentur Constitutiones circà Capsam communem, & Capsores; de clauibus Monasterij horreis impositis; de ratione expensarum singulo mense capitulariter reddenda, ac notis earum per Priorem, & Capsores examinandis, & approbandis. Si victus, & vestitus in debita quantitate, & qualitate, & opportunis temporibus Monachis subministrantur. Si Sacrastiæ, ac Monasterij suppellectilia debitè resarciuntur, ac innouantur. Si ædificia reparantur, & expensæ pro Monasterij bonis excollendis, ac eorum iuribus conseruandis debitè impenduntur. Si infirmi, ac Hospites aduentantes cum charitate tractantur. Si ad Monasterij ianuas solitæ eleemosynæ pro Monasteriorũ vsu, ac conditione erogantur, & de similibus. Interrogent etiam, si debitis temporibus Regula, Statuta, & Constitutiones publicè legantur, & obseruentur; Et quoad hæc interrogent singulariter, præsertim de tribus votis substantialibus, ac de essentialiter ad ipsa pertinentibus; de lectione in mẽsa habenda, benedictione, ac refectione; Ieiunijs, & abstinentijs; de clausura, de non egrediendo è Monasterio, nisi bis in mense; de Cuculla deferẽda, de Rasura, seù tonsura capillorum, & alijs: Interrogent etiam circà officia singulorum; Vt si Prior tamquàm omnium Rector alios promouet verbo, & exemplo, si in dissimulandis culpis est nimis indulgens, vel nimis seuerus in corrigendis. Si est personarum acceptator. Si propriæ vtilitatis, ac commoditatis affectator. Si pacem, & charitatem cum suis subditis, & inter illos conseruare studet. Si Regulæ, Statutorum, ac propriæ Cõgregationis Constitutionum est obseruator, ac zelator. Si subditos suos cũ prudentia, sana doctrina, & optimo consilio dirigit. Si Vicarius circà concernentia seruitium Chori, & Ecclesiæ, rectamq; iuniorum in cœremonijs, cantu, ac Religionis ritibus educationem, alijsq; ad eius officium spectantibus diligenter inuigilat. Si Oeconomus est fidelis, accuratus, & solers in bonis temporalibus Monasterij curandis, exigendis, impendendis &c. & eorum quilibet super Officialibus sibi subordinatis, & eorum officijs inuigilat. Et si inferiores etiam Officiales munera sibi incumbentia rectè obeũt. Interrogent etiam; An adsit in Monasterio aliquis scandalosus, qui publicè, vel notabiliter deliquerit, vel contrà Priorem, aut alios Superiores insurrexerit, aut eorum obedientiam apertè recusauerit. Et an inter Monachos adsint iurgia, inimicitiæ, vel odia. Et tandem interrogent, an habeant ali-

quid

quid vlterius dicendum,vel subministrãdum;Si enim sciant,aliquod publicum scandalum non emendatum emanasse in Monasterio, illud Visitatoribus sponte notificare tenentur. Et sic eos dimittant. Expeditis omnibus subditis interrogent quoq; Priorem,an habeat aliquid circa Monasterium, vel suos subditos suggetendum, cum ipse sua auctoritate non valuerit obuiare,vel sano consilio distulerit ad Visitatores deferre.

321. Quæcunq; ex responsionibus habebunt,& præsertim corrigenda per Visitatorem minorem, vt communiter, cum proprijs subscriptionibus singulorum,sicut etiam omnes alij actus Visitationis in scriptis redigãtur. Si quæ tamen grauia,& pręcipua correctione digna adinuenerint, vel coram eis fuerint deducta, diligenter de eis perquirant,& opportunas informationes seorsim,exhibito etiam examinandis iuramẽto,recipiant, ac procedãt, & puniant iuxtà sacros Canones,ac proprias Congregationis Constitutiones. Procedant tamen summariè,& sine strepitu iudicij,ac sola facti veritate inspecta.

322. Inquirant tantùm de ijs, quæ à terminata præterita visitatione occurrerunt, nisi huiusmodi sint grauia, & talia, quæ latuerint pręteritos Visitatores, aut circa ea procedere ipsimet ex industria distulerint, quod eis omninò constare debebit.

323. Facta omnium, quæ in visitatione digna correctione repererint, diligenti consideratione, & inter se consultatione; si quæ pro bono regimine, vel ad tollendos abusus ordinanda adiudicauerint,illa in scriptis inter actus visitationis redigant, & eorum copiam proprijs manibus subscriptam,vnà cum nota pœnitentiarum pro culpis publicis impositarum,in fine visitationis Priori dimittant. Si quæ autem pœnæ pro occultis culpis erunt infligendæ, illas seorsim in secreta quadam pagina clausa, cum præcepto à tergo inscripto,vt à solis Visitatoribus futuris aperiatur, inscribãtur,vel Priori sub sigillo secreti committant, vt pro exequtione inuigilet.

324. Ex ordinationibus de anno 1608. teneãtur Visitatores singulis Decretis in visitatione factis particulares pœnas apponere, & tempus exequtionis pręfigere; quas quidem pœnas non solùm non exequentes,sed etiã Priores, & quicunque alij Superiores eorum exequtionem omni conatu nõ curantes incurrant, ac de eorũm exequtione in proximis futuris visitationibus Præposito,& Patribus Visitatoribus constare facere teneantur.

325. Quibus peractis, vltima die suæ visitationis iterum iubeant, omnes ad sonum campanulę,vt suprà,capitulariter congregari, ac ibi culpas publicas, & deffectus tùm communes,tùm particulares publicos,etiam Prioris, si opus fuerit, repræhendant; faciantque prædictam Ordinationum cedulam capitulariter legi; ac Priori bis in anno in Capitulo legendam, & futuris Visitatoribus, & Præposito ostendendam relinquant; Necnon etiã litteras testimoniales huiusmodi visitationis in forma consueta, proprijs

eorum

eorum manibus signatas, & eorum sigillis roboratas, ostendendas vt suprà; Ac demùm adhortatis omnibus ad pacem, & concordiam, & prout ipsis magis expedire videbitur; Et præcepto imposito sub pœnis eisdem arbitrarijs omnibus, nè de aliquo, qui in visitatione contrà eos quidquam deposuisse, aut dixisse quoquo pacto præsumatur, vindictam publicè, vel secretè sumere, vel prætendere audeant. Et dictis culpis, impositisque pœnitentijs salutaribus, ac facta confessione, & absolutione de more, visitationi finem imponant.

326. Hoc autem inter omnia singulari diligentia in visitatione curent, vt pacem, & concordiam, quantum fieri potest (salua tamen Ordinis disciplina) in Monasterijs dimittant, ac subditorum ergà suos Superiores obedientiam, & reuerentiam, eorumque ergà subditos paternam dilectionem, & charitatem, quæ sunt Monasticę vitę præcipua fundamenta, illibatas custodiant.

CAPVT XXXV.

De potestate Visitatorum, & quæ per eos in visitatione seruanda.

327. Visitatores poterunt quoslibet Monachos, & Fratres, etiam Officiales, cũ opus fuerit, ab officijs suspendere, priuare, in strictiori clausura, vel in proprijs cubiculis, aut in domo custodię recludere, & omnibus alijs pœnis secundum vsum Congregationis in eos animaduertere, & etiam sententiam excommunicationis, seruata debita forma, proferre. Ac omninò eandem auctoritatem tàm in spiritualibus, quàm temporalibus, prout iustitiæ ratio postulauerit, exercere, qua etiam Præpositus ipse medio tempore fungitur, præterquàm, sicut ex eorum patentibus, quod non poterunt Monachum, vel Fratrem habitu spoliare, vel è Congregatione eijcere, nec Priorem aliquem priuare. Dignis tamen exigentibus causis ad Præpositum defferant, qui sua maior auctoritate procedat, ac determinet, prout iuris. Sicut etiã si inchoata ob angustiam temporis, vel ob difficultatem causarum non potuerint perficere.

328. Possit nihilominus Præpositus sua auctoritate tempus visitationis ex Statutis præfixum extendere, cum expedierit.

329. Possint etiam in factis particularibus coram eis deductis, cum eis opportunum videbitur, iuramentum expręssè exigere, & recipere, & ad illud præstandum sub pœnis opportunis, etiam excommunicationis ipso facto incurrendę quoslibet Monachos, & Fratres, etiam Officiales, ac proprios Priores cogere.

330. Definita, & ordinata per Visitatores non valeant vllo pacto retractari, nec ab exequtione suspẽdi, nisi per Præpositum, vel Capitulum Generale.

rale. Cum circumspectione tamen circà hæc procedant Præpositus, & Capitulum prędictum, nè dùm Visitatorum auctoritati facilè detrahitur, disciplina regularis frangatur. Sicut etiam ipsosmet Visitatores cautos, & prudentes esse monemus, non facilè cuilibet spiritui aures præbentes, nè ex visitatione Monasterijs, aut Congregationi in generali, vel alicui in particulari infamia oriatur. Et ideò quæ perpetuò silentio committenda diiudicabunt, sub pœnis opportunis, etiam excommunicationis, si opus sit, committant. Cum charitate autem, & prudentia in omnibus procedant, rixas, & discordias omni conatu extirpantes, ac animos componentes.

331. Minor Visitatorum semper maiori deferat, ac eius consilia sequatur. Coniunctim tamen procedant, ac definiant. Et si in aliquo minor Visitatorum aperta ratione à maiori discordaret, deferant ad Præpositum, qui secundum iura terminet, ac definiat.

332. Dùm sunt in actu visitationis, omnibus, etiam Priori præsint, omniaque signa pręeminentiæ vbique faciant; Ac, vt in Statutis, Priores proprio officio nō fungātur, nisi prout ipsis Visitatoribus videbitur. Prædicta tamen auctoritate, ac pręeminētia vtantur, & gaudeant tantùm, dùm sunt in actu visitationis in Monasterijs, quæ visitant, quamuis cùm etiam erunt extrà, poterunt dubia circà à se determinata declarare. Nec valeant auctoritatem sibi à Pręposito, vel Capitulo Generali datam, quouis modo alijs committere, aut delegare, sed absoluta visitatione omninò expirasse intelligatur.

333. Si verò per Priorem, vel maiorem partem Capituli Monasterj vocarentur, perfecta, vel nondum cœpta generali visitatione, non accedant, nisi à Præposito missi, ac ab eo auctoritate accepta. Annuat tamen Præpositus dignis exigentibus causis.

334. Ex ordinationibus de anno 1612. & ex Decreto Illustriss. Protectoris. Nulli ex Visitatoribus liceat in visitationibus, occasione visitationis quæuis munera à quopiam recipere, nec quisquam cuiusuis conditionis eadem occasione audeat per se, vel per interpositam personam eisdem munera cuiusuis generis præbere, vel offerre, sub pœna Visitatoribus acceptantibus, ac Prioribus, vel alijs Officialibus exhibentibus, vel dantibus, priuationis officiorum, & inhabilitatis ad eorum executionem, & subditis priuationis vocis actiuæ, & passiuæ per triennium.

335. Scripturas, & actus visitationis diligēter occlusas, & proprijs vtriusque Visitatoris sigillis signatas maior Visitatorum cautè apud se custodiat, & Præposito Generali, statim absoluta visitatione, ac etiam tempore congruò Capitulo Generali de ijs relationem facturi, eas secum deferāt; nemini tamen ostendant, nisi fortè superesset causa, per Præpositum, vel Capitulum Generale recognoscenda, vel quia esset legitimè appellatum, vel quia ipsimet Visitatores eam reseruassent; Et tunc tantùmmodo scri-

pturas

pturas ad eam attinentes, vel earum copiam subscriptionibus Visitatorũ authenticatam extrahere teneantur. Facta verò relatione Capitulo Generali, prędictas scripturas omnes rescindere, & resecare omninò teneantur. Nec de cœtero ad vlteriorem suæ visitationis rationem reddendam possint cogi, vel super actis in ea quouismodò proclamari, accusari, vel puniri.

336. Præpositus Generalis singulo anno, tempore opportuniori, ad eius iudicium, Visitationem suam generalem instituat, præmissa missa de Spiritu sancto, & secundùm eandem ferè formam, vt suprà, vel magis summariè, ac actus registrentur per eius Cancellarium.

CAPVT XXXVI.

Quomodo Monasteria sunt ad nostram Congregationem recipienda, vel ædificanda; Et de obseruandis circa Clausuram.

337. MOnasteria ad nostram Congregationem de cœtero non esse, nisi de licentia Capituli Generalis, vel Præpositi cùm Consultoribus, vt in Statntis, recipienda, declaramus esse intelligendùm quoad effectum, & valorem contractus, non quoad tractatum, ac etiam contractum ipsum; Hoc est, tractatus super hoc initos, vel etiam conclusos, & obligationes Congregationi receptas, ac opportunis instrumentis actitatas nunquàm effectum suum, ac valorem sortiri volumus, donec accesserit in scriptis consensus, & approbatio vel Capituli Generalis, vel Præpositi cum Consultoribus. Cum itaq; proponitur Monasterium, vel locus Congregationi vniendus, debet fieri verbum cùm Reuerendissimo, qui recepta oblatione in scriptis cùm omnibus conditionibus, ac re diligenter perpensa, si eius prudentiæ, & iudicio videbitur, in vtilitatem, & honorem Congregationis verti, mittat duos, aut saltem vnum ex grauioribus, ac magis expertis Monachis, qui actu prædictum locum visitent, videantq; num conditiones expositas habeat. Et si tempus instet, eis quoq; committat, vt quatenus ità repererint, & expedire viderint, receptionem ipsam concludant, reseruata tamen approbatione, & confirmatione, vt suprà. Ac tandem facta à prædictis relatione, diligenterq; iterùm re inter Definitores, vel Prępositũ, & Consultores discussa, concludant, approbent, confirmẽt, vt suprà, vel reijciant &c. Et si sint loca, vel bona Ecclesiastica, non vniantur, vel incorporentur, nisi interueniente auctoritate Apostolica.

338. Conditiones, quas vt communiter attendere debemus circà Monasteriorum receptionem, vel loca in Monasteria erigenda, sunt pręcipuè. Nè sint debitis aggrauata, & præsertim impositionibus annuis, de quibus non habeatur spes, vt quandoque possint extingui. Vt habeant redditus, vel obuentiones sufficientes ad sex Monachos saltem alendos, vel de con-

sensu

ſenſu Capituli Generalis, poſsint ex bonis alterius Monaſterij ditioris, aut communis Depoſitariæ ſuppeditari, donec ad ſtatum prædictum redigantur. Vt habeant officinas neceſſarias pro Monachorum congrua habitatione, vel ſaltem reducibiles. Vt habeant Eccleſiam ſufficienter conſtructam, vel facilè conſtruendam cum paramentis, libris, vaſibus ſacris, & alijs ad eius ſeruitium neceſſarijs. Vt ſint in ſalubriori aere, quantùm fieri poteſt, ad Monaſticæ vitæ rigorem ſuſtinendum; extrà Ciuitates per vnum milliare vel circà ob ſolitudinem, & commoditatem; Vel etiam in Ciuitatibus his temporibus ad bellorum tumultus, & inquietationes vitandas, & ob populi ædificationem. Nè Eccleſia ſit obligationibus inſuportabilibus aggrauata, nec aggrauetur hac occaſione, & ſimiles &c.

339. In Monaſterijs de nouo conſtruendis, ac eorum partibus præcipuis ædificandis, vel deſtruendis, & vniuerſaliter in ædificijs quæ excedunt valorem centum aureorum, habeatur hęc ratio; Nè fiant, niſi re cum Capitulo particulari Monaſterij participata, & ab eò admiſſa; ac etiam facto circà formam peritorum ſcrutinio, & habito eorum iudicio, deſsignatiſq; modulis, vel factis architypis, in ædificijs principalibus; Et initis, ac in autenticam formam deductis conuentionibus cum artificibus, & mercatoribus materiam ſubminiſtraturis. Et re tandem ad Reuerendiſsimum delata, ac ab eo licentia in ſcriptis obtenta. Quarum quidem fabricarum expenſas omnes, per ſolitos Monaſterij Officiales, vel per duos Monachos ad id à Reuerendiſsimo deligendos, & fabricæ præponendos, faciendas, volumus in libro particulari ſecundum ordinem conſuetum referri, & diſtinctè annotari, ac examinari, & approbari per Viſitatores, vel Reuerendiſsimum, necnon etiam per proprium Priorem, & Capitulum Monaſterij, ſi fiant ſumptibus Monaſterij. Et hæc omnia ſub pœna priuationis officiorum tranſgreſſoribus mandamus, & alijs Reuerendiſsimo arbitrarijs, Circà ædificia verò, quæ prædictam ſummam non ſuperant, ſeruetur hæc ratio. Quod ſi impenſę aſcendant ſuper vigintiquinque aureos, Prior teneatur hoc ad Reuerendiſsimum deferre, præter approbationem proprij Capituli, ſub pœna arbitraria, vt ſuprà.

340. Omninò tamen Monaſteria occaſione fabricarum ęre alieno, vel debitis aggrauari Prioribus, & quibuſcunq; Superioribus ſub pœna priuationis officiorum inhibemus; niſi aliter neceſsitas cogat. Sicut multò magis eidem pœnæ ipſo facto eos Superiores irremiſsibiliter ſubijcimus, qui ex negligentia, vel auaritia, vel quouis alio modo debitas reparationes facere ommiſſerint, vel diſtulerint, maximè ſi ruinæ, vel caſus, aut maioris damni periculum immineat.

341. Monachi curæ animarum extrà clauſtra præpoſiti intelligantur eſſe aſſociati, quandò degunt in locis, ad quæ alij Monachi quaſi continuò diuertunt, & commorantur. Et obſeruetur, quantùm fieri poteſt, quod ex

Statutis circà hoc præcipitur.

342. Circà egressum Monachorum è Monasterio obseruētur nedùm quę præcipiuntur ex cap. 13. Statutorum; Vt scilicet eant semper humiliter, ac venia, & benedictione tàm in eundo, quàm in redeundo à Superiore petita, & accepta, & oratione armati; Et cap. 6. eorundem, vt respectu Monasteriorum in Ciuitatibus, vel Oppidis populosis degentium sint bini, & cucullati, ac Conuersi, & Commissi cum mantello, aut cappa; Sed etiam quæ præcipiuntur ex Ordinatione de anno 1587. facta, vt respectu eorundem Monasteriorum non egrediantur, nisi bis in mense, præterquàm si aliud necessitas suaserit; Et quæ ex Ordinario cap. 15. vt pernoctaturi, vel ad alia Monasteria diuersuri habeant licentiam in scriptis.

343. Prohibitio ingrediendi sæpta Monasteriorum nostrorum, mulieribus facta, inuiolabiliter seruetur, quia est fundata in Constitutione Pontificia Pij V. emanata sub die 23. Octobris Pontificatus sui anno primò, & confirmata per Greg. XIII. qua reuocantur omnes licentiæ eousq; super hoc quouis prætextu concessæ, & prohibetur mulieribus cuiusuis conditionis, & præeminentiæ, nè prætextu prædictarum licentiarum sub excommunicationis, (cuius absolutio Pontifici reseruatur) Regularium virorum Monasteria ingredi audeant, Religiosis verò sub priuationis omnium officiorum, ac inhabilitatis ad ea, & suspensionis à Diuinis, pœnis ipso facto incurrendis, nè ipsas intromittant, vel recipiant. Limitatio verò est fundata in declaratione Congregationis Illustrissimorum Cardinalium dubijs Concilij præfectę.

CAPVT XXXVII.

De qualitatibus ad Congregationem nostram recipiendorum, & de efficiendis, antequàm ad habitum recipiantur.

344. SI quis in Congregatione nostra ad habitum nostrum recipi voluerit, non statim annuatur ei, sed probetur spiritus eius, si ex Deo est; Hoc est, audita eius petitione, etiam circà statum, in quo Deo militare intendit, & pręhabita de eius natalitijs, bona educatione, sufficiētia, cœterisq; requisitis qualitatibus satis probabili notitia, offeratur illi spes, & admittatur per aliquot dies ad Monachorum conuersationem. Et interim, si fieri potest, communi vitæ in Refectorio, in Choro, cęterisq; actionibus cum nouitijs, vel iunioribus insistat. Quo etiam tempore nouitiorum Magister, seù alius, cui hæc cura sit à Priore iniuncta, eius vitæ, & moribus diligenter intendens exquirat, nùm Religioris, & perfectioris vitæ, ac Deo liberiùs seruiēdi studio, an mala sugestione, vel propria animi leuitate, aut alio prauo affectu hoc vitę genus delegerit, faciatq; sæpius de illius sufficientia, pro-

bitate,

bitate, & perseuerantia periculum. Et si in sancto proposito perstiterit, & sufficientes de requisitis exhibuerit probationes, ac in omnibus habilis, & idoneus fuerit repertus, admittatur ad habitum.

345. Qui pro seruitio Chori sunt recipiendi, debent ex Statutorum cap. 14. saltem 15. ætatis annum habere; Et si 16. excedant, nisi de consensu Capituli Generalis, vel Dietæ, aut tempore intermedio Præpositi, & Priorum eorum, qui à Capitulo Generali huic negotio sunt præfecti, admitti. Debent quoq; saltem eam litterarum peritiam calere, aut de ea spem indubium præseferre, quòd temporibus opportunis ad Ordines sacros recipiendos sinè difficultate habiles adinuenientur. Et hoc de extrema necessitate requiritur, nam de congruitate debent etiam iuxtà ætatis proportionem tantæ sufficientiæ reperiri, vt possint scientijs speculatiuis debitè applicari, & in illis temporibus congruis ritè promoueri. Nullus item recipiatur ex Constitutione Sixti V. Dat. 6. Cal. Octobris Pontificatus sui anno tertiò, ac moderationibus superindè sequutis, qui non sit ex legitimo thoro, immò addimus, ex honestis parentibus, ac etiam (nisi indoles suppleat) ex nobilibus, vel saltem conspicuis oriundus. Item nec qui sit in iudicio ob crimen aliquòd delatus, & non debitè iustificatus. Item nec si seruus, aut reddendę rationi obnoxius. Item nec si ære alieno grauatus, ac possit suis facultatibus, vel opera satisfacere. Item nec si coniugatus. Item si non cōstet recta corporis habitudine, vel sit bigamus, aut alio irregularitatis genere, quod per Religionis ingressum, non auferatur, detentus. Item si aliqua aperta, aut occulta infirmitate, quę aut vix, aut cùm difficultate, longo scilicet tempore, aut magnis cùm dispendiis curari possit, laboret. Item si de nostra Congregatione, etiam dùm esset nouitius, fuerit quandoq; licentiatus, vel spontè recesserit, super quòd possit dispensare solum Capitulum Generale; Vel aliam Religionem quandoq; fuerit ingressus, aut professus, nisi ex speciali concessione, vt suprà, & seruatis quæ ex Concilio Tridentino cap. 19. sess. 25. de hoc præscribuntur. Item si non sit moribus, ac tota vita anteacta conspicuus; Et cœteras omnes conditiones, quæ ex sacris Canonibus, vel Pontificorum Decretis præcipiuntur, non habeat. De quibus omnibus teneatur ipse autenticas exhibere fides, & Superiores diligenter, vt suprà, indagare.

346. Conuersi verò, Commissi, & Oblati non recipiantur, nisi sint in maturiori ætate, & ex prædictis conditionibus habeant quę respiciunt statum Regularem, non quę pertinent ad dignitatem Ordinis, & gaudeant præsertim bona corporis habitudine, & incolumitate; & religiosæ vitæ specimen præseferant, ac saltem doctrinæ Christianæ pręcipua capita, & fidei rudimenta noscant. Admittantur ad habitum Conuersorum, vel Commissorum, vel Oblatorum, prout eorum qualitates exposcere magis videbuntur.

347. Non admittantur ad habitũ noſtrũ, nec ẽt Cõuerſorũ, Cõmiſſorũ, vel Oblatorum, niſi per Definitorium tempore Capituli Generalis, vel per Cõſultorium tempore annualis Dietæ, aut Præpoſitum Generalem tempore intermedio. Ac etiam de conſenſu, & approbatione ſpeciali Monaſterij, in quo, vel cuius nomine ſunt recipiendi. Si quis ex Prioribus, vel alijs Superioribus contrafecerit, vel iſtud tẽtare præſumpſerit, ſit ipſo facto ab officio abſolutus, & nouitius ipſe ad ſęculum remittatur. Ad cõuerſationem autẽ poſsint etiã per ſolos Priores, re tamen cùm Prępoſito participata, admitti.

348. Non induantur noſtro habitu, nec probationem agant, niſi in Monaſterio Hoſpitaletti, vbi optima ratione communis nouitiatus eſt nunc inſtitutus, aut alibi, ſi quandò de Superiorum auctoritate alij nouitiatus erunt erigendi.

CAPVT XXXVIII.

De modo receptionis Nouitiorum ad habitum noſtrum.

349. PRæſtitis prædictis omnibus, cùm Priori opportunum videbitur, induendus in Capitulo coram Monachis omnibus ad hoc cõgregatis erit vocandus, & ibi genuflexus hunc in modum per Priorem interrogandus.

Quid quæris? Reſpondeat. Miſericordiam Dei, & veſtram. Inquirat deindè Prior diligẽnter ab eo, ſi ſit coniugatus, ſeruus, debitis, quibus potuerit in ſæculo ſatisfacere, aggrauatus, vel reddendæ rationi obnoxius. Si occulta infirmitate teneatur. Si ab aliqua Religione eiectus, aut dimiſſus, aut ſpontè ab ea diſceſſerit, & ſingulariter circà expoſitas conditiones, maximè quæ non manifeſtè appareant. Quod ſi adinueniatur, vel reſpondeat, ſe in aliquo prædictorum deficere, repellatur. Sin minimè, rurſus Superior ei Monaſticę vitæ difficultates, & aſperitates exponat; Scilicet perpetuam caſtitatem, promptam obedientiam, voluntariamq; paupertatem ſub ſolemnioris voti obligatione iugiter obſeruandas, proprię voluntatis abdicationem, veſtitus abiectionem, victus parcitatem, & modum, clauſtri, ac ſolitudinis tædium, vigiliarum, & ieiunij laſitudinem, carnis macerationem, exercitationum corporalium laborem, cęterarumq; pręcipuarum obſeruãtiarum qualitatem; & circà ſingulas opere adimplendas eius voluntatem exploret. Qui ſi reſponderit; Si Deus dederit, & quantùm humana patitur conditio, ſe velle cuncta adimplere, Superior tunc ſubiungat: Deus, qui incœpit in te bonum opus, perficiat. Et reſpondeatur. Amen.

350. Poſtquàm igitur fuerit de peccatis omnibus Priori, vel alio, ad id per eum deputato, ſacramentaliter confeſſus, etiam generaliter (ad hoc enim pro noua vita tutius inſtituenda, ac plenaria indulgentia, & alijs con-

ceſsionibus

cessionibus dignius consequendis sunt præcipuè adhortandi) ac sacra communione refectus, post Missam conuentualem, seù post vesperas, in Ecclesia antè Altare maius apud Superiorem genuflexus maneat. Et tunc Prior incipiat cum nota hymnum, Veni creator Spiritus &c. quem dùm Chorus prosequitur alternatim, exuat eum Superior vestibus sæcularibus dicens. Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. Et deindè induat habitu nostræ Religionis dicens. Induat te Dominus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Et dicendo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen, ipsum benedicat. Expleto hymno dicat in solito tono.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. ℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.
℣. Emitte Spiritū tuū, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ.
℣. Ora pro nobis Beate Pater Heronyme. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationē meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da huic famulo tuo N. (& mutetur ei nomen, ac imponatur nomen alicuius sancti, præsertim ex Monastico ordine, quem deinceps pro præcipuò aduocato apud Deum habeat) in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Deus, qui Ecclesiæ tuæ, per Beatum Patrem Hieronymum, gloriosum Doctorem tuum, veræ sapientiæ arcana propitius reserasti; Eius nos meritis tribue illud sincerè, quod docuit, intelligere, & efficaciter adimplere.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo N. & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternę, vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

351. Et tunc exurgentibus omnibus, consignetur per Superiorem Magistro Nouitiorum, sub eius disciplina militaturus, ac vnà cum alijs de pertinentibus ad susceptum vitę genus instruendus. Isdem modus seruetur si plures sint simul ad habitum recipiendi, mutatis mutandis &c.

352. Vestimenta, & alia, si quæ à sæculo secum detulerit, seruentur in communi Vestiario, vel alibi ad nutum Superioris, ei reddenda, si fortè (quod Deus auertat) retrocesserit, vel de Religione fuerit dimissus; alioquin in eius, vel Monasterij vtilitatem per Superiorem conuertenda.

CAPVT

CAPVT XXXIX.

Quomodò sint tenendi Nouitij tempore probationis, & de quibus instituendi.

353. TEmpore probationis instituantur Nouitij per eorum Magistrũ in primis in actibus corporeis cum humilitate, modestia, & decentia exhibendis, vt scilicet incedant corpore quidem erecto, sed oculis dimissis &c. Vt Superioribus cum reuerentia capita inclinent, & dùm eos alloquuntur genua flectant, & in omnibus iuxtà praxim in Congregatione vsitatam, ac abundantius in Carta Nouitiorum explicatam. Item in ritibus, ac cęremonijs Congregationis in Ecclesia, Choro, Capitulo, Refectorio, ac alibi debitè præstandis. Item in Cantu, & Officio iuxtà Rubricas rectè dirigendo. Item exercendi sunt in actibus humilitatis circà viliora ministeria, vt in lustranda domo, pannis expurgandis, pane conficiendo, & similibus in Congregatione consuetis. Item sunt diligentius instruendi de singulis contentis in Regula, Statutis, ac Ordinario, & illis assuefaciendi, vt scilicet primi assistant omnibus horis in Choro, in Capitulo, Refectorio, & alijs locis, & actibus publicis. Vt silentium debitis locis, & horis seruent. Vt abstinentias, & ieiunia consueta non transmittant. Nè vnus aliorum Cellas sinè necessitate, & particulari Magistri licentia ingrediatur. Nè professos, & extrà Nouitiatum commorantes alloquantur, aut eis vllatenus associentur. Vt disciplinas non solum in communi, sed etiam in particulari, pro singulorum indigentia, & dispositione, ac etiam aliàs carnis macerationes frequentent, ac sensus omninò cohibeant, & mortificent. Sunt etiam edocendi modum mentaliter orandi, & meditandi, ac propriam conscientiam quotidiè examinandi, & in lectione librorum spiritualium cum fructu persistendi. Debent quoque potissimum sanctorum Sacramentorum frequentationem non intermittere, & saltem bis in mense, vel etiam semel in hebdomada peccata confiteri, ac diebus debitis sacra Eucharistia refici. Et quoniam nouæ dispositiones facilè dilabuntur, non est etiam eis denegandum, quin humanioribus litteris, vel sublimioribus scientijs, pro eorum captu, incumbant, ac in his cum fructu exerceãtur. Sunt quoq; ad animorũ relaxationem, & corporum sanitatem, eis permittendæ honestæ recreationes, quæ quandoq; intrà claustra, & quandoq; longiores extrà fiant, in locis tamen, quantùm fieri potest, solitarijs, ac à comercio non solum Laycorum, sed etiam Monachorum separatis, ac Magistro præsente, qui etiam in omnibus alijs actibus, & locis eis debet assistere, ac illos concommittari, cunctas eorum actiones, & motus diligenter obseruans, ac dirigens.

354 Debet

354. Debet quoq; Magister particulares eorum cellas frequenter visitare, ac in eis scrutinia facere, inuigilando, vt humili lecto, mensa, ac oratorio constent, cùm vasculo acquæ benedictæ, ac disciplina, & aliquibus imaginibus Crucifixi, ac sanctorum, maximè qui de pœnitentia dicuntur, nudis in reliquo parietibus, ac libris spiritualibus, & proficuis.

355. Eius quoq; erit præcipui muneris, cùm sollicitudine insistere, vt necessaria pro Nouitiatu opportunè suppeditentur, præsertim verò pro nouitijs infirmis, quibus charitatis officium est omni studio in omnibus impendendum. Eruntq; hac de causa per Magistrum duo ex prouectioribus, sub eius cura degentibus, deligendi, vel per Superiorem Conuersus, aut Cōmissus assignandus, qui nouitijs infirmis inseruiat, temporibusq; debitis opportuna suppeditet; sicut etiam alicui ex prouectioribus, vt suprà, custodiendæ, ac adaperiendæ ianuæ Nouitiatus, atquè nouitios ad Matutinos excitandi, & similium cura erit committenda.

356. Conuersi, & Commissi anno probationis instruantur & ipsi per Vicarium, aut alium per Superiorem deputandum de principalibus in Regula, & Cōstitutionibus contentis, edoceanturque modum Missis priuatis inseruiendi, culpas in Capitulo dicendi, & sub petitioribus instruantur in officijs seruitutis, & præsertim in maximè necessarijs, in quibus si non proficiant, ad professionem non admittantur.

357. Non permittatur nouitijs, ad paternas domos accedere, aut alibi extrà Monasterium commorari, nisi occasione infirmitatis valdè periculosæ, & id de licentia speciali tantùm Præpositi Generalis. Nec de Monasterio egrediantur, nisi simul omnes copulati, & à suo Magistro concōmittati occasione recreationum, vt suprà. Neq; etiam eorum affines, & consanguineos soli possint concommittari, sed tantùm Magistro, aut socio prouectiore, de magistri licentia, præsente.

358. Etiam, si quis ad Nouitiatum ętate prouectus fuerit receptus, ac in sacris constitutus, non eximatur ab exequtione, & obseruātia omnium, quæ solent per nouitios præstari, nisi fortè in aliquo minus essentiali fuerit per Magistrum, vel Superiorem dispensatus. Propter dignitatem tamen Ordinis, si sit Sacerdos, omnibus alijs præferatur; Et Missas celebrare, ratione melioris boni, de Superiorum licentia, possit. Nullum tamen nouitium ad Ordines sacros, durante Nouitiatu, promoueri Superioribus sub pœna priuationis mandamus.

359. Iuxtà ordinationem de anno 1452. ac sæpius deindè innouatam, & ad hæc vsq; tempora etiam in viridi obseruantia positam, durāte anno probationis, singulis tribus mensibus, in Capitulo Monasterij de conuersatione cuiuslibet nouitij habeatur tractatus; Et auditis debitis informationibus ab eorum Magistro, proponatur, ac secretis votis discutiatur, nùm sit retinendus, aut de Congregatione dimittendus.

360. Ne-

360. Neminem ad Congregationem, & habitum nostrum, data mercede, vel facta de ea conuentione, & obligatione, & omninò intuitu mercedis recipere, non solùm quibuscunque Superioribus sub excommunicationis pœna, ob prauitatis simoniacæ labem, ipso facto incurrenda, inhibitum esse declaramus: Verùm etiam eos omni officio, ac dignitate statim priuandos esse volumus, ac nunc prout ex tunc priuamus, qui pro alimonijs tempore Nouitiatus aliquid huiusmodi subministrari cogerint, vel quouis modo in pactum, vel obligationem deduxerint. Non prohibemus tamen, quin Congregationi, vel Monasterio spontè oblata, vel donata possint Superiores accipere, & quibuscunque contractibus, institutionis, donationis, vel similium in fauorem Congregationis, vel Monasteriorum assentiri, & quomodolibet debita, vel deuoluta occasione professionum per Monachos, & Fratres emissarum, vel aliter, quatenus Superiori, ac Capitulo placuerit, iusto iure repetere, & exigere.

CAPVT XXXX.

De modo Professionis emittendæ.

361. Completo probationis termino (quem sacrosancta Tridentina Synodus cap.15. Sess. 25. præfigit esse annum integrum à die susceptionis habitus computandum, ac post completum ætatis Nouitij 16. alioquin professio sit nulla) ad Superiorem pertinebit, de professione emittenda agere. Quocircà Capitulo Monasterij ad hoc coadunato, iterum de eius conuersatione, vita, & moribus diligentiori informatione à Magistro, & laijs, cum quibus fuerit conuersatus, perquisita, proponat, ac votis secretis submittat; num ad professionem sit admittendus. Quòd si maior pars annuerit, de mandato Superioris vocetur ad Capitulum, qui illum in medio coram se genuflexum sic alloquatur. Charissime in Christo Frater. Eccè tempus probationis tuę iàm completum est, in quo vitam nostram, secundùm Congregationis nostræ Constitutiones, & vsum es expertus, & preterquàm in consilijs fuisti sicut vnus ex nobis. Nunc ergò de duobus vnum à te est eligendum, aut scilicet à nobis recedere, vel renunciare huic sæculo, & teipsum Omnipotenti Deo, Diuoq; Patri Hieronymo, & Congregationi nostræ in perpetuum offerre. Sciasq;, quòd postquàm indissolubili hoc obedientię iugo te obstrinxeris, non licebit tibi amplius ab eo collum excutere, nec ab illo quod solemni voto spoponderis, recedere. Quod si respondeat, se velle in cœpta vocatione persistere, & mediante sanctæ professionis sacrificio, se Deo perpetuò consecrare, intelligatur ad professionem admissus. Sin verò per Capitulum reiceretur, aut ipse nollet profiteri, in Capitulo nihilominus, vt suprà, vocatus, dicatur

tur

tur ei per Superiorem. Frater, quoniam mores tui moribus nostris non conueniunt, tolle quod tuum est, & vade in pace. Et tunc exuatur habitu nostro, & vestimenta, ac alia sua illi reddantur, & ad priorem sortem remittatur.

362. Nouitio itaque ad tantùm actum, & indulgentias illius occasione dignè consequendas, per præuiam peccatorum sacramentalem confessionem, & sacræ Eucharistiæ refectionem præparato, & benè disposito, eoq; antè Altare maius apud Superiorem genuflexo, & circunstante toto Conuentu, & candelis in Altari accensis, procedat prius Superior ad benedicendum habitum, Cucullam scilicet, & scapulare, si fuerit Monachus, vel scapulare, & Mantellum, si Conuersus, vel Mantellum solum, si Comissus, hoc modo dicens in tono solito.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Dñi. ℟. Qui fecit cœlum, & terram.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus tuæ largitatis abundantiam, vt hoc genus indumenti, quod Patres nostri ad innocentiæ, & humilitatis inditium, abrenunciantes Mundo ferre sanxerunt, ita benedictione tua bene ✠ dicere digneris, vt postquã hic famulus tuus eo vsus fuerit, te induere mereatur. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Et aspergat deindè prædicta indumenta acqua benedicta, & thure adoleat. Posteà exuat Nouitium vestibus nouitiorum dicens, vt suprà. Exuat te Dominus veterem hominem, cum actibus suis. Et subindè induat illũ vestibus professorum dicens. Induat te Dominus nouum hominem, qui secundum Deũ creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Et eo induto prosequatur Prior in tono solito.

℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Dñe auxilium de sancto. ℟. Et de Syon tuere eum.
℣. Domine exaudi orationem meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & hunc famulũ tuũ bene ✠ dicere digneris, cui in tuo sancto nomine sacrum Religionis nostrę habitum imposuimus, vt te largiente & deuotus in Congregatione proficere, & vitã percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc sic indutus accedat ad supræmum Altaris gradum, ibiq; erectus, ac versa facie Superiori tunc sedenti, ita tamen vt nec terga sanctissimo Eucharestię sacramento vertat, professionem emittat, alta, & intelligibili voce

cedulam, seù instrumentum suæ professionis legens secundùm formam, vt in Statutis. Qua lecta, conuertendo se ad Altare, super illud eam offerat, ac Altare deosculans, sanctissimoq; Sacramento genuflectens ad locum priorem reuertatur: Et dùm erit in vltimo gradu apud Superiorem iterum genuflexus, tunc Superior intonet cum nota Hymnum, Veni creator Spiritus &c. Quo decantato alternatim per Choros, dicat Superior in tono solito.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. ℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.

℣. Oremus pro Fratre nostro N. ℟. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat in terra, & non tradat eum in Animã inimicorum eius.

℣. Domine exaudi orationẽ meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Præsta, quęsumus Domine, famulo tuo renuncianti sæcularibus pompis, gratiæ tuæ ianuas petere, qui despecto diabolo fugit ad titulum Christi. Iube venientem ad te vultu sereno recipi, nè de eo inimicus valeat triumphare. Tribue ei brachium, Domine, infaticabile tui auxilium. Mentem eius fidei lorica circũda, vt fęlici muro vallatus, Mundũ se gaudeat euasisse.

Deus, qui Beatum Patrem Hieronymum Cõfessorem tuum normam vitæ Apostolicæ sæculo renunciantibus sanxisti; quæsumus clementiam tuã, vt ipsius, & omnium Sanctorum tuorum intercessione placatus, super hunc famulum tuum, qui iàm sæculo renunciauit, clementer, ac piè respicias; cor eius ab errore cæcitatis auertas, & ad tuæ veritatis sequellam accendas; gratiæ tuæ misericorditer donum infundas; quatenus sobriè, iustè, ac piè viuens, iussionis tuę præcepta custodiat, & contrà delectamenta peccati ratione persistat; Carnalium desideriorum prauitatem compescere valeat, & in spiritu humilitatis, & animo contrito perdurans, obedientiæ sacrificiũ tibi conuenienter offerat, & ad eos, qui mittes, & humiles esse per vnigenitum tuum dedicère, pertingere mereatur; Et quòd te donante promisit, Spiritus sancti vnctione roboratus opere compleat.

Omnipotens, & misericors Deus, qui es fons veri luminis, à quo est omne bonum, effunde super hũc famulum tuum septem gratiæ charismata, & per sanctam benedi ✠ ctionis tuæ fertilissimam copiam, tribue ei prudentiam & iustitiam, temperantiam & fortitudinem, & post huius sęculi vitæ laborem, cum triumpho gloriæ præmia æterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si sint plures professionem emissuri, isdem modus, mutatis mutandis, seruetur, ac secundùm ordinẽ, quo ad habitũ fuerunt recepti, profiteantur.

Posteà

Postea surgente Priore & ipse surgat, & à latere Altaris iterùm genuflexus ad osculum pacis suscipiatur primò per Priorem, deindè per reliquos Monachos professos gradatim; Et simul per Priorem, ad ea quæ spontè vouit, opere complenda breuiter adhortetur; Ac tandem in loco vltimo professorum per ipsummet Priorem collocabitur; Quem locum deinceps vbiq; retinere debebit, præterquàm si exigentibus demeritis per Superiores aliter iuxtà Constitutiones statueretur, aut propter gradus, & dignitates aliter esset obseruandum.

CAPVT XXXXI.

Quomodo nouiter Professi sunt tenendi; Et de ordine præcedentiæ inter Monachos, ac etiam inter Monasteria.

363. PRofeſsionum Cedulæ subscribātur non solùm per eum, qui profeſsionem emiſsit, vt in Statutis, sed etiam per Priorem, qui profeſsionē recepit hoc modo. Ego D. talis de tali loco, talis Monasterij Prior præsens fui, & recepi; Et per omnes professos Monasterij secundùm eorum Ordinem, hunc in modum. Ego Don A. de B. Vicarius pręsens fui, & sic de reliquis. Ac sic subscriptæ habeant idem robur, ac eis adhibeatur eadē fides, ac si essent instrumenta per publicos Notarios in autenticam formam redacta; Scribanturq; ex originali ordinatim in libro particulari, perpetuò in archiuio Monasterij, in quo habetur Nouitiatus, asseruādo ad fidem faciendam, cum opus erit.

364. Nouiter profeſsi, si ętatem non habeant, aut non præseferant matuTriorem, non dimittantur de Nouitiatu, sed sub eadem disciplina, donec ad illum statum deuenerint, teneantur, nisi aliter neceſsitas cogat, & hoc de speciali mandato Præpositi Generalis. Teneantur nihilominus omnes nouiter profeſsi saltem per tres annos à profeſsione in arctiori disciplina, sub cura particulari Vicarij, vel alterius idonei ad id deputandi. Immò, donec in sacris sint constituti, existant saltem sub particulari cura Vicarij, nec eis liceat cum Sacerdotibus, & alijs conuersari, nec à regulis obseruantię vllo pacto recedere. Nec poſsint ab hoc statu amoueri, nisi ex euidenti neceſsitate, vel maiori congruentia Reuerendiſsimo quandòq; videatur super hoc dispensandum.

365. Poſsint deinceps ad habitum recipi Nouitij, ac ad profeſsionem admitti nomine etiam aliorum Monasteriorum, & non tantùm Monasterij, in quo est Nouitiatus; Et tunc non solum erunt ad habitum, & profeſsionem de consensu Capituli illius Monasterij recipiendi, verùm etiam in Cedula profeſsionis, vbi habetur. (Promitto obedientiam Deo Patri &c. & tibi Patri, N. Priori istius Monasterij &c.) erit addendum (Et tibi Patri N.

Priori istius Monasterij &c. Nomine Monasterij &c.) Ac Prior in fine ad testificandum debebit subscribere. Ego D. talis de tali loco Prior talis Monasterij præsens fui,& nomine talis Monasterij recepi: Et bona omnia; ac iura,quę quomodolibet Congregationi,aut Monasterio ratione dictarũ professionum debentur, intelligatur acquisita Monasterio, cuius nomine recipiuntur ad professionem. Ac cùm ad ætatem peruenerint grauem, si dignis exigentibus meritis in prædictis Monasterijs assignari petierint, vel ab illis non remoueri,facilè annuatur,vt eorum subleuetur senectus.

366. Locus in Congregatione iuxtà dignitatum gradum inter Monachos deinceps ex Ordinationibus de anno 1596. 1602. 1609. & imposterum sæpè confirmatis,& longo vsu receptis, seruandus, est, vt Præposito Generali tamquàm omnium suprẹmo Pastori vbiq; super omnes dignior,& eminentior deferatur locus: Subsequens debetur Patribus Prioribus gradatim, secundum antiquiorem Monasteriorum,quibus præsunt,Congregationi nostræ vnionem; vel fundationem; Eorum tàmen quilibet cæteros Priores, præter Præpositum Generalem,in locis propriæ residentiæ pręcedat. Subsequantur Vicarij secundum eundem ordinem, qui tamen extrà proprias residentias non præcedant graduatos,vt infrà. Deindè Visitatores, Definitores,& Consultores,qui, dum sunt in actibus suis, etiam Priores talibus gradibus non insignitos antecedant, se inuicem verò secundum memoratũ dictorum graduum ordinem,ac in eodem gradu secundum ordinem professionis. Nihilominus non Priores semper deferant Prioribus.Qui verò Generalatus munere cum laude fuerint perfuncti, etiamsi quandòq; cõtingat, eos in nulla dignitate esse constitutos, ob tanti gradus eminentiam, iuxtà prædictas Ordinationes,præcedant omnes præter Priores, & etiam Vicarios in eorum tantùm residentijs; Et Priores eorum consilio,& consultatione in pręcipuis,ac difficilioribus vtantur,assignentq; Conuersum,vel Commissum, aut alium idoneum, qui in necessarijs opportunè inseruiat: Et si Monasterium ad habitandum delegerint,facilè eis annuatur &c. In reliquis attendatur ordo profęssionis,ità tamen vt Monachi semper Conuersos, & Conuersi Comissos,& hi Oblatos præcedant.

367. Monasteriorum nostræ Congregationis in Italia ordo,pœnes antiquiorẽ fundationem, vel vnionem, aut aliter attendendus,est, vt ponatur.

1. Monasterium Sancti Petri nùnc de Hospitaletto, aliàs de Scenis nuncupatum, Diœcesis Laudensis, quia nunc est caput Congregationis, cùm sit Sedes Reuerendissimi Patris Generalis.
2. Monasterium sanctorum Bonifacij,& Alexij de Vrbe, ob antiquiorem vnionem ad nostram Congregationem.
3. Monasterium sancti Hieronymi de Castellatio propè Mediolanum, quod Ordini sancti Hieronymi etiam priùs, quàm supradictum Monasterium sancti Alexij, sed Congregationi nostræ, post reformatio-

nem

nem Patris Luppi, posterius fuit incorporatum.
4. Monasterium sancti Hieronymi propè Mantuam.
5. Sancti Sigismundi propè Cremonam.
6. Sancti Sauini Placentiæ.
7. Sancti Marini Papiæ.
8. Sancti Barbatiani Bononiæ.
9. Sanctorum Geruasij, & Protasij loci Montisbelli.
10. Sancti Pauli de Albano.
11. Sanctorum Carpophori, & sociorum propè nouum Comum.
12. Sancti Hieronymi propè Bugellam.
13. Sancti Hieronymi propè Nouariam.
14. Sancti Michaelis propè Brembium.
15. Sancti Ioseph propè Marmirolum.

CAPVT XXXXII.

Circà litterarum Studia, & Studentes.

368. CVm ignorantia sit omnium malorum radix, & otium eius fomes sit præsertim Religiosis viris maximè euitandum: Ideò Statutis, ac Constitutionibus inhærentes decernimus, Monachos nostros, præcipuè adolescentiores, & capaces omnem operam, omnemq; laborem studijs impendere debere, demptoq; seruitio Chori, ac alijs necessarijs obseruantijs, omni diligentia, ac vigilantia in huiusmodi esse detinendos, & exercendos.

369. Ex ordinatione de anno 1582. & alijs in viridi obseruantia. In Monasterijs Hospitaletti, Castellatij, Placentiæ, & Cremonæ deputentur, & manuteneantur Lectores idonei, laudabiles doctrina, moribus, ac vita, qui ibidem profiteantur Grammaticæ, Logicę, Philosophiæ, ac Theologię, seù sacrę Scripturæ lectiones, tàm pro Nouitiorum laudabili in Domino educatione, quàm etiam pro Monachorum professorum scientiæ augumento. Addimus ex alijs ordinationibus. Lectores si fieri possit, sint ex propria Congregatione, aliter conducantur externi. Et si Superiores per mensem in hoc fuerint negligentes, suspendantur ad arbitrium Reuerendissimi ab officio.

370. Ex ordinationibus de anno 1594. Cupientes nostræ Congregationis Monachos bonarum litterarum studijs, Deo fauente, florere, statuimus, vt de mandato Capituli Generalis, vel Reuerendissimi quamprimùm eorum omnium fiat delectus, quorum indoles, ac ingenium spem prębeant boni exitus. Et hi omnes in classes diuidantur, quarum vna contineat eos, qui humanioribus litteris sunt erudiendi. Secunda eos, qui ad Logicam.

Tertia,

Tertia, qui ad Philoſophiam. Quarta, qui ad ſacram Theologiam audiendam comperientur idonei; Curabitq; Reuerendiſsimus vt ſingulis claſsibus optimi perquirantur Præceptores. Superiores verò Monaſteriorum, in quibus huius Decreti auctoritate collocabuntur diligenter, ac enixè curabunt, vt fructus vberiores aſsidua diligentia percipiantur. Quod efficient, ſi diſcipulos crebris admonitionibus, correctionibus, blanditijs, minis, omniq; prorſus artè vel inducant, vel impellant ad munus ſuũ rectè obeundum. Addimus, adoleſcentiores Monachos, ac minus in ſtudijs prouectos eſſe maximè in Monaſterio Hoſpitaletti, & alijs, in quibus viget obſeruantia, detinendos, prouectiores verò, & maturiores ob ſtudiorum commoditatem poſſe quoque in Monaſterijs Papiæ, & Bononiæ aſsignari.

371. Ex ordinationibus de anno 1605. Hortamur, ac in Domino obſecramus quoſcunque Superiores, vt diligentes, & vehementer accuratos ſe prębeant in adoleſcentibus rectè alendis, & educandis, pręſertim in litterarum, ac ſcientiarum ſtudijs; In quo munere debeant ſæpè inquirere, & ſcrutari: An iuuenes eorum curæ demandati fruſtrà tempus conterant. Quod ſi repererint., in eos animaduertant grauibus etiã pœnis, & ſi nullo pacto reſcipiſcere voluerint, priuentur etiam perpetuò facultate ſtudendi.

372. Ex ordinationibus de anno 1602. Ad inflammandos Monachos, & adoleſcentes præſertim, vt in ſtudia bonarum litterarum, & honeſtarum artium diligentius incumbant, quemadmodùm Decreto Sanctiſsimi D.N. Clementis Octaui circa Regularium reformationem ſancitum eſt, ſtatuimus; nè cui Monacho poſt hac facultas fiat accedendi ad aliquos ordines ſacros ſuſcipiendos, niſi prius de eius vitæ probitate, morum honeſtate, doctrinæ, & litterarum peritia periculum ab huic muneri præfectis factum fuerit, & per diligens examen aptus, & idoneus, cui facultas promouendi ad ſacros ordines à quocunque Ordinario concedatur, fuerit repertus.

373. Ex ordinationibus potiſsimum de annò 1600. Antiquam conſuetudinem habendi in Monaſterijs maioribus ſaltem bis in hebdomada, diebus à Priore præſcribendis, capitulariter antè Completorium aliquam lectionem ſacræ Scripturę, aut Caſuum conſcientiæ, aut ſuper Regulam omninò approbamus, & confirmamus. Et ex ordinationibus de anno 1608. additur, quòd lectio prędicta in Monaſterijs ad hoc deſignatis habeatur impoſterum frequentius, videlicet temporibus Quadrageſimæ, & Aduentus alternis ſaltem diebus, alijs verò temporibus bis ſaltem in hebdomada.

374. Ex ordinationibus de annò 1596. Nemo ex noſtris Monachis deinceps poſsit promoueri, nec admitti ad Doctoratus gradum, niſi prius diſcuſsis, & publicè cum laude diſputatis illius facultatis, in qua cupit promoueri, concluſionibus; Habitaq; in ſcriptis à Capitulo Generali, vel Prępoſito licentia, & fide de illius ſufficientia, morum, & vitæ probitate.

Addimus, ac etiam à proprijs Doctoribus, & Magistris, de eius sufficientia, & quod saltem per sex annos completos scientiarum studijs ordinarijs cum fructu operam dederit.

375. Ex ordinationibus de anno 1600. Qui imposterum Doctorali dignitate fuerint insigniti, teneantur scientias, quas profitentur, ad nutum, & mandatum Superiorum edocere. Extendimus hanc ordinationem ad omnes, qui prædictis muneribus, vel alijs in Congregatione necessarijs quomodolibet fuerint habiles.

CAPVT XXXXIII.

De culpis leuibus, & eorum pænitentijs.

376. QVia secundùm culparum qualitatem debet esse pœnarum modus; & prudenti medico pro morborum varietate quãdòq; fomentis, & vnguentis lenientibus, quandòq; medicamentis abstergentibus, & quandòq; etiam ferro vrente est vtendum: Ideò culpas per gradus in leuem, grauem, grauiorem, & grauissimam distinguentes, ac proportionatas eis pœnas adaptantes, dicimus.

377. Culpam leuem esse, si quis in principio Officij, Capituli, mensæ, aut alterius communis exercitij præsens ex negligentia non fuerit; Aut errauerit legendo, cantando, vel alia faciendo in communi, solus, vel alteri associatus, & statim genuflexus, ac pectus percutiens non acceperit à Superiore signum.

378. Si quis lectiones, cantum, ac alia sibi ex officio incumbentia debitè non præparauerit, vel præuiderit. Vel aliud legat, aut cantet, quàm sit legendum, aut cantandum. Vel si eius negligentia liber aliquis, in quo sit legendum, vel cantandum, deficiat, aut ipsum malè tractet.

379. Si dùm Officium dicitur, aliquis dormierit in Choro, vel dùm habetur Capitulum, in Capitulo, aut alibi in actibus publicis: Vel riserit, aut ad ridendum alios incitauerit; Aut nugas, & ludibria inferendo quomodolibet dictis, vel factis alios ab Officio, vel alio exercitio publico auerterit.

380. Si quis Ecclesiæ ornamenta, vel Altaris, aut res communes Monasterij negligenter tractauerit, vel in exercitijs, ac muneribus sibi ex officio, aut obedientia impositis obeundis aliquam commiserit negligentiam, vel ommissionem.

381. Si quis Coquinam, Hospitium, Valetudinarium, ac huiusmodi officinas, nisi ex necessitate, aut proprio exigente officio, sinè Superioris licentia fuerit ingressus.

382. Si in mensa aliquid potus, vel cibi versauerit, aut vasa fregerit, aut notabilem

notabilem ſtrepitum fecerit, vel negligentiam commiſerit. Aut ſi cibum cœperit ſumere, vel potum, antequam benedictione abſoluta factum ſit ſignum à Superiore. Vel extrà menſam cibum, vel potum ſinè benedictione, & licentiá Superioris ſumpſerit. Et ſi ſinè cauſá, & licentiá abſtinentias Ordinis fregerit.

383. Si benedictionem in egrediendo de Monaſterio, & reuertendo à Superiore non acceperit, ac in alijs iuxtà vſum Congregationis. Vel per plateas, & loca publica vagis fuerit oculis, aut ſocium debitè non fuerit concommittatus, aut quidpiam aliud minùs honeſtum, & decens fecerit, per quod populo potuerit ſcandalum excitari.

384. Si ſilentium locis, & temporibus debitis non ſeruauerit, vel hoſpites extraneos, præter primam ſalutationem, ſinè Superioris licentia fuerit alloqutus, vel eis aſſociatus. Aut alterius Cellam fuerit ſinè neceſsitate, & licentia ingreſſus.

385. Si libros, & alia ad neceſsitatem ſibi ex communibus ſuppeditata, tempore debito non reſtituerit, vel malè tractauerit.

386. Si aliquid cum iuramento, extrà caſum neceſsitatis, etiam verè affirmauerit, vel negauerit, aut ſi verba vana, minùs honeſta, vel falſa, etiam ſinè alterius damno, dixerit.

387. Propter prædictas, & alias ſimiles culpas imponat Superior delinquētibus aliquā leuem pœnitentiam, vt abſtinere à vino, vel pitantia in menſa; vel recitare pſalmos pœnitentiales, aut vigilias; vel in medio Refectorij genibus flexis aliquas orationes dicere; vel pedes Fratribus de more in Refectorio deoſculari; Aut etiam ſuper terram iuxtà ſolitum comedere; vel aliter ad eius arbitrium, & ſecundùm eius prudentiam, quia in omnibus culparum qualitatem, delinquentium conditionē, & temporis, loci, ac aliorum circunſtantias diligenter perpendere debet.

CAPVT XXXXIIII.

De culpis grauibus, & earum pœnitentijs.

388. GRauis culpa eſt, ſi quis in Monaſterio, vel extrà cum Monacho, Fratre, aut alió iurgia, ſeù contentiones clamoſas habuerit; Aut in ipſum iniurias, vel opprobria dixerit; Aut culpam, de qua ſatisfecit, exprobauerit.

389. Si proclamando aliquem in Capitulo eum indebitè aggrauauerit, aut ei verba iniurioſa dixerit; Aut proclamatus reſpondendo contentiones, & iurgia excitauerit, aut extrà Capitulum aliquem reprælienderit, quia ab eo capitulariter fuerit proclamatus.

390. Si in alium comminatoria verba, & aggrauatoria, vel minùs religioſa

giosa dixerit; aut aliqua mala malitiosè protulerit de Priore, vel de quolibet alio, quæ probare non possit.

391. Si culpam suam, vel alterius coram Superioribus cum superbia defendere auserit; vel alteri culpas, quas non commisit, obiecerit.

392. Si falsa cum iuramento protulerit, vel quomodolibet in damnum notabile alterius; vel verba turpia, & inhonesta cum alterius scandalo.

393. Si silentium fregerit ex consuetudine, maximè in cameris priuatis; Vel de victu, aut vestitu, aut qualibet alia re communi murmurauerit.

394. Si inter Monachos, vel Fratres discordias disseminauerit; Vel diseminatas fouerit, vel auxerit.

395. Si ex vsu oculos in fœminas cum scandalo figere consuescat; Aut eas clàm fuerit alloqutus, vel cum eis suspitiosè conuersatus.

396. Si sinè necessitate, & Superioris licentia ieiunia ab Ecclesia Statuta violauerit.

397. Si ex obedientia ad aliquod Monasterium, vel alium locum missus, aut de Superiorum licētia quomodolibet aliquò diuertens, post terminum sibi præfixum sinè causa necessitatis eò peruenerit, vel tardius indè recesserit, vel diutius ibi fuerit commoratus, vel quouis modo tempus sibi præfixum fuerit transgressus.

398. Si secreta Capituli illis, qui non sunt de Capitulo, reuellauerit, maximè cum accesserit prçceptum à Superiore in virtute sanctæ obedientiæ de non reuellando factum; Et extendatur ad reuellantes quæcunq; in Monasterio, vel Congregatione occurrerint, cum accesserit tale præceptum.

399. Propter superius expositas culpas, & alias similes imponat Superior delinquentibus vnam disciplinam in Refectorio, & comestionem vnam super terram in pane, & acqua. Cùm eis verò, qui spontè prædictas culpas fuerint confessi, mitius agat, quàm cùm illis, qui eas negauerint, & posteà fuerint conuincti, vel eas confiteri iterùm coacti; Immò si capitulariter de illis proclamati negauerint, & deinceps fuerint conuincti, duplicetur eis prædicta pœnitentia.

CAPVT. XXXXV.

De grauioribus culpis, ac earum pçnitentijs.

400. GRauior culpa est, si quis manifestè, & cum obstinatione, & duritia suo Superiori fuerit inobediens, aut ei legitima præcipienti cum rebellione, vel verbis contentiosis, comminatorijs, vel iniuriosis contradicat.

401. Si in superbiam elatus, debita reuerentia, ac timore postpositis, de qualibet re cum suo Superiore tamquàm cum sibi çquali, intrà Monaste-

rium, vel extrà temerè, & cùm obstinatione fuerit ausus contendere.

402. Si ex malitia, vel habito consilio alicuius coniurationis, vel vnionis malitiosæ contrà Priorem, ac in detrimentum eius in quolibet negotio fuerit auctor, vel quomodolibet in eã cõsenserit, aut sciens eã non reuellauerit.

403. Si peccatum aliquod mortale publicè, & cum scandalo cõmisserit.

404. Si rem sibi colatam malitiosè occultauerit, aut Superiori ex obedientia præcipienti, vt eam reddat, non obtemperauerit.

405. Si aliquem de Congregatione nostra, vt ad aliam Religionem, vel Ordinem transeat, sinè zelo melioris boni, & sinè scitu, & participatione Superioris induxerit, aut quouis pacto ei persuadere tentauerit.

406. Si quis ad talos, vel ad quolibet aliud genus ludorum à iure prohibitorum de qualibet re luserit.

407. Qui igitur ex prædictis culpis, vel similibus aliquam commisserit; subiaceat huiusmodi pœnis; Videlicet, vt abbreuiato scapulari ad instar Nouitiorum, in Refectorio post benedictionem mensæ antè Vicarium, vel alium, cui hoc Prior iniunxerit, genuflexus, ac altero humero denudato, per illum disciplina percutiatur, dùm alternatim per Choros Monachi dicunt psalmum, Miserere &c. & in fine Gloria &c. & vt in Capitulo de disciplina faciẽda. Et in mensa sedens in terra comedat tantùm panem, & aquam super nudam tabulam, nisi Prior ex misericordia quidpiam aliud ei dari indulserit; Ac etiam post refectionem, dùm Monachi de Refectorio egrediuntur, iaceat ipse toto corpore in terram prostrato, ac manibus sub facie iunctis, antè fores Refectorij, donèc singuli Monachi egredientes super eum transeant; Idemque efficiat antè fores Ecclesiæ, dùm Ecclesiam ingrediuntur, ac in Choro etiam tunc vltimum locum inter omnes teneat. Et si sæpius sit eidem pœnitentiæ summittendus, maneat interim cum habitu Nouitiorum, ab alijs separatus, ac proprio cubiculo astrictus: Possitq; interesse tantùm Officio in Choro, si Priori placuerit, vbi tamen sit vltimus omnium; Et si sit in sacris constitutus, non administret interim, ac cum omnibus silentium seruet, ac vicissim alij cum eo, præter consolatores specialiter de licentia Prioris.

CAPVT XXXXVI.

De culpa grauissima, ac eius penitentia.

408. GRauissima culpa est incorrigibilitas ipsa, quàm incurrũt qui culpas committere non erubescunt, & post commissas, pœnas impositas sustinere recusant, ac emendationem facere omninò negligunt, de quibus dicit Apostolus; Quòd post trinam admonitionem sunt tamquàm Ethnici, & Publicani habendi, & Diuus Pater Augustinus in Regula, quòd sunt de nostra societate proijciendi.

409. Quicunq; igitur, vt suprà, incorrigibiles in quocunq; genere delicti grauis reperientur, hi in carceribus ab alijs separētur, ac debitis pœnis vsq; ad emendationem, ac aliorum ædificationem plectantur. Quod si non resipiscant, vel iterum in ijsdem delictis obdurato animo prolabantur, idem de Congregatione alibi puniendi proijciantur.

CAPVT XXXXVII.

De fugitiuis, & Apostatis, ac eorum pœnitentijs.

410. Distat inter fugitiuum, & Apostatam, quòd Apostata à Religione propriè dicitur, qui temerariè, & obstinato animo, amplius scilicet non reuertendi, à Religione aufugit. Fugitiuus, qui contrà mandatum quidem Superioris, sed animo reuertendi à Monasterio recedit. Qui verò non contra mandatum speciale Superioris, sed ex leuitate, ac statim reuersuri à Monasterio recedunt, possunt communi nomine transgressores, seù inobedientes appellari.

411. Apostatæ sunt ipso facto excommunicati, & nisi in carceribus recipiendi, & pœna carceris per annum, & ieiunij in pane, & acqua singulis secundis, quartis, & sextis ferijs, ac pœnitentia grauiori singulis sextis ferijs per sex menses puniendi, & etiam maiori secundum diuturnitatem temporis, quo a Religione apostatauerint, ac alijs pœnis, vt inferius de fugitiuis, supponēdi. Dignoscetur verò animus temerarius, & non reuertendi vel ex declaratione ꝓpria verbis, scriptis, aut alio signo exteriori facta, & per testes sufficiēter cōprobata, vel ex diuturna ꝑmāsione extrà Religionē, Vel ex diuersione (quòd Deus auertat) ad partes infideliū, vel alijs similibus inditijs.

412. Fugitiui verò, qui scilicet contrà mandatum Superioris è Monasterio fugam arripiunt, vel quomodocunq; extrà claustra vagantes, sinè debita licentia diutiùs à Monasterio absunt, si per quinq; dies abfuerint, deputentur custodiæ per totidem dies, & semel subijciantur pœnitentiæ grauiori. Si minùs quàm 20. maneant totidem diebus sub custodia, & interim singulis sextis ferijs ieiunent in pane, & acqua, & submittātur bis pęnæ grauiori, Si minùs quā dies 40. sint sub custodia totidē diebus, & singulis sextis ferijs interim ieiunēt in pane, & acqua, ac recipiāt disciplinā, & quinq; vicibus sustineant pœnā grauiorē. Qui vsq; ad sex menses abfuerit, sit duobus mēsibus in custodia, comedēs panē, & acquam, & recipiens disciplinam interim omnibus sextis ferijs, ac subeat, vt suprà, pœnam grauiorem. Si vsq; ad annum, custodia, ieiunium, & disciplina protrahantur vsq; ad sex menses, & pęnam grauiorem sustineat, vt suprà. Et si vlterius, multiplicetur proportionaliter pęna grauior, ac augeatur eodem pacto custodia, disciplina, & ieiunium.

413. Dùm fugitiuus,vel Apoſtata manet in prædictis pęnitentijs, habeatur,ac teneatur tamquàm nouitius, vtatur ſcilicet habitu nouitiorum, ac vltimo loco vbiq; reſideat. Expleta pœnitentia,quoad profeſsionem ammittat tantùm temporis,quantùm à Congregatione abſuit, & ſit ex Statutis perpetuò inhabilis ad officium Præpoſituræ.

414. Si in fuga,vel apoſtaſia reciduauerit, vltrà prædictas pęnas teneat vltimum locum poſt omnes profeſſos,quos tempore ſuæ reuerſionis in Cōgregatione repererit,ac ſit ad omnia officia,& dignitates perpetuò inhabilis. Nec poſsit in hoc diſpenſari,niſi elapſis a pęnitentia tribus annis, per Capitulum Generale,vel Præpoſitum. Si etiam tertiò, puniatur omnibus ſupradictis pœnis,ac perpetuò ſit priuatus voce actiua,& paſsiua. Et ſi vlterius,habeatur,ac puniatur tanquàm incorrigibilis,vt ſuprà.

415. Fugitiui habitum Religionis dimittentes,vel malitiosè occultantes, ipſo iure,& facto ſunt excommunicati, ac eos pœnis apoſtatarum ſubmittendos eſſe volumus,& multò magis ſi in Ordinibus ſacris adminiſtrauerint, quo in caſu fiunt etiam irregulares.

416. Cùm fugitiuis,& Apoſtatis nulli noſtrorum Monachorum, vel Fratrum,ſub pœna cuſtodiæ per menſem, & pęnitentiæ grauioris in fine ſuſtinendę liceat conuerſari,aut eos alloqui,vel ad illos ſcribere,aut litteras,vel internuncia mittere &c. Sed habita de illis notitia, ſtatim teneantur eos Priori notificare. Et nec etiam de conuerſione,aut reductione cùm eis agere,niſi de Superioris licentia,poſsint,vel ſtatim ei rè delata.

417. Circà expoſitas pęnas poſsint Priores diſpēſare, & ſi viderint in eis dignos pęnitentiæ fructus,eas imminuere, maximè cùm ijs, qui ſpontè ad obedientiam fuerint reuerſi,præter tamen eas,quæ pertinent ad præcedentiam quoad ordinem profeſsionis,& ad habilitatē quoad officia, & dignitates,vel ad vocem actiuam,& paſsiuam,quarum diſpenſationem,vel commutationem tantùm,vt ſuprà,reſeruatam eſſe volumus.

418. Si quis è Monaſterio receſſerit ſub prætextu,quòd profeſsionem antè legitimam ætatem,aut ob metum,vel alia de cauſa inualidam emiſſerit, non prius deductis coram ſuo Superiore,& Epiſcopo Dięceſano,quas prætenderit,cauſis,amplius non audiatur,ſed tamquàm Apoſtata,& fugitiuus puniendus,etiam per vim ad clauſtrum reducatur, & interim nullo priuilegio ſuæ Religionis iuuetur. Ex Concilio Tridentino ſeſſ.25.cap 19.

419. Qui ſinè debita licentia à Monaſterio diſceſſerint, ſub prætextu etiā accedendi ad ſuos Superiores,cùm ab eis non ſint miſsi,aut vocati,tamquā deſertores proprij inſtituti puniantur. Ex eodem Concilio eadem ſeſſ.25. cap.4.

420. Qui verò ab vna Religione,vt aliam arctiorem ingrediantur, exeūt, debent quoq; à ſuis Superioribus debitam licentiam petijſſe, vt ſuprà, ac impetraſſe,quæ per noſtros Superiores,niſi de conſenſu Capituli Generalis,

vel

vel Præpositi, ac etiam de consensu capituli proprij Monasterij, in quo, vel cuius nomine est professus, ac verè apparente zelo arctioris vitę non concedatur.

421. Fugitiuis, & Apostatis reuertentibus non solū non occludātur ostia Monasterij, nec viscera misericordię, sed cum charitate, & benignitate recipiantur. Immò volumus, vt per nostros Superiores adinstar ouium errantium ad ouile, omni adhibita arte, etiam si opus sit, & si sine maiori scandalo fieri posit, inuiti trahantur. Quocircà mandamus, vt habita eorum notitia vnusquisq; ex Superioribus in proprio loco, & vicinioribus vagantes, aut commorantes, omni diligentia, etiam, vt suprà, inuocato curiæ sæcularis brachio, ad claustra reuocandos curent. In quo si negligentes fuerint reperti, ab officio per annum suspendantur, ac alijs pœnis ad arbitrium Præpositi puniantur.

422. Non recipiantur tamen, nisi in Monasterio Præpositi Generalis, cui in actu reuersionis omninò se præsentare teneantur, vel in alio de eius mandato. Quod si per vim fuerint reducti, statim Prior, qui eos reducendos curauit, vel cui fuerint consignati, teneatur Prępositum certiorem facere, ac eius mandata circà hoc adimplere. Pœnitentiam verò exequantur vel in Monasterio, à quo recesserunt, vel in Monasterio Præpositi, in faciem totius Congregationis, attenta semper maiori ædificatione, & alijs conueniētijs, ad dispositionem Prępositi.

423. Teneantur etiam Superiores sub pœna suspensionis per annum, statim sequta fuga, vel Apostasia, eam Prępositio notificare, cùm die illius precisa. Et Præpositus eam sub eadem die inter acta sui officij adnotare facere, ac etiam diem præcisam reuersionis, vel reductionis; Ac quoq; si bis, vel pluries recidauerint, vt memoria de hoc maneat, & tempus intermedium quoad ordinem professionis in pœnam ammittendum posit computari.

424. Mandamus quoq; Patribus Prioribus, ac alijs Monasteriorum Superioribus sub pęna priuationis officiorum ad arbitrium Præpositi, vt pęnas prædictas, ammissionis scilicet professionis, & inhabilitatis ad officia, ac priuationis vocis actiuæ, & pasiuæ, vt suprà, infligendas delinquentibus, omninò infligant, & irremisibiliter exequi faciant. Positq; super hoc quilibet contrà Superiorem, & fugitiuum coram Capitulo Generali, vel Præposito, aut Visitatoribus proclamare, cui sinè dilatione iustitia summaria fiat.

CAPVT XXXXVIII.

De nonnullis alijs culpis, & earum pęnitentijs.

425. QVi suadente diabolo in alium manus iniecerit violentas; si læsus non gaudet Clericali priuilegio, & læsio non sit valdè notabilis data

data debita satisfactione, sustineat semel pœnam grauiorem. Si verò læsio sit satis notabilis, non tamen enormis, idest sine membri mutilatione, vel debilitatione, aut vulnere graui, vel alio simili modo, separetur ab alijs per mensem, & data debita satisfactione sustineat bis pœnam grauiorem. Si tandem sit enormis læsio, vltrà irregularitatem, quàm incurret percutiens, si fuerit cū amputatione, mutilatione vel debilitatione alicuius membri præcipui, ponatur in custodia per tres menses, & ieiunet interim in pane, & acqua singulis quartis, & sextis ferijs, ac data satisfactione, ter supponatur pœnæ grauiori. Et si læsio peruenerit vsq; ad mortem, vel etiam vsq; ad vitæ periculum, deputetur carceri perpetuò, & habitu expoliato mittatur puniēdus extrà Congregationem. Quas quidem pœnas etiam aggrauandas esse decernimus penes circunstantias, & penes læsionis modum, vt si fuerit facta animo deliberato, & re diutius præmeditata; Vel cum proditione; Vel cū commitatu, vel cum armis insolitis, & maximè prohibitis. Et penes personam, vt si læsus sit nobilis, in dignitate constitutus, senex inhabilis &c. Et penes locum, vt si in Ecclesia, in Monasterio, in propria cella &c. Et penes tempus, vt si noctu, cum dormiret &c. Et secundum alias circunstantias. Si verò læsus gaudeat clericali priuilegio, sed non sit in Ordinibus sacris constitutus, vltrà excommunicationem, quem ex Canone, si quis suadente diabolo &c. incurret, sustineat prędictas pœnas in duplum. Si verò sit in sacris Ordinibus constitutus, addatur etiam pœna custodiæ per sex menses. Si autem sit Officialis, triplicentur prædictæ pœnæ; Et cum percussio erit notabilis, vel enormis, addatur pœna custodiæ per annum, & priuationis vtriusq; vocis perpetuæ. Cùm verò peruenerit vsq; ad proprium Prælatum, facilè infligatur pœna carceris perpetui, sustinenda quoq; extrà Congregationē.

426. Qui verò verbis iniuriosis honorem, & propriam æstimationem essentialiter auferentibus, vel deprimentibus alium læserit, si qui iniuriam recepit non est de numero Sacerdotum, data debita satisfactione, qui intulit iniuriam sustineat simul pœnam grauiorem. Sin verò sit læsus Sacerdos, deputetur qui læsit custodiæ per mensem, ac ieiunet interim singulis quartis, & sextis ferijs in pane, & acqua, & data satisfactione summitatur bis pœnæ grauiori. Sin officialis, pœna custodię augeatur vsque ad quatuor menses. Et si proprius Superior vsq; ad annum, & ipso facto priuatus intelligatur per sexennium voce actiua & passiua, nisi ex misericordia Superiori læso videatur in aliqua parte indulgendum, accedente tamen Decreto Capituli Generalis, vel Præpositi. Idem intelligimus de aggrauantibus verbis comminantibus mortem, vulnera, aut quidpiam aliud magnum damnum. Intelligimus autem fieri parti debitam satisfactionem, cum verba in eum prolata retractantur, de offensaq; postulatur ab eo venia priuatim, vel publicè, secundùm quod iniuria processit.

427. Qui verba blasphema in Deum, vel sanctos ore impuro effuderit,

sub

ſub arctiori carcere teneatur per ſex menſes, ac in pane & acqua ieiunent interim omnibus ſecundis, quartis, & ſextis ferijs, & bis pœnę grauiori ſummittatur. Qui verò verba indecentia, vel indecora in eoſdem protulerit, pœnę grauiori ſubiaceat toties, quoties &c.

428. Qui alium de falſo apud Superiores noſtrę Congregationis, vel alios accuſauerit, ſi id ſciens, & malo animo fecerit, teneatur irremisſibiliter ad pœnam talionis, ac ob diffamationem ad reſtitutionem proprię famę, & exiſtimationis, carceriq; applicatus per annum ieiunet ſingulis ſecũdis, quartis, & ſextis ferijs in pane, & acqua, & ſuſtineat ſex vicibus pœnam grauiorem, ac perpetuò ſit priuatus voce actiua, & paſsiua. Sic qui falſum teſtimonium in iudicio contrà aliũ dixerit, vel ad dicendum induxerit. Si verò defecerit tantùm in probationibus, teneatur ad reſtitutionem, ac etiam ad pœnam talionis, ad arbitrium Superioris, habita ratione imputationum, accuſatoris, accuſati, & ſimilium.

429. Qui litteras, libellos, cedulas, aut cuiuſuis alterius generis ſcripta diffamatoria, ſcripſerit, dictauerit, compoſuerit, appoſuerit, vel publicauerit, quæ videlicet tendant in inhonorem alicuius Vniuerſitatis, vel particularis perſonę, vltrà excommunicationem, quam eo ipſo ob id incurret, deputetur carceri per annum, ac ieiunet interim ſingulis ſextis ferijs in pane, & acqua, & facta debita ſatisfactione, & retractatione, ſuſtineat ter pœnam grauiorem.

430. Qui litteras, aut ſcripturas nomine immutato, vel falſificato caractere ſcripſerit, vel miſſerit, habeatur pro falſario, etiam ſi vera continerent, ac omni arte curetur, vt talis delicti auctor, & patrator adinueniatur, declarantes quod ad eum conuincendum ſufficiant inditia, quę ſufficere ſolent in delictis occultis, ac tamquàm falſarius, & de falſo accuſans, vt ſuprà, ſinè intermiſsione puniatur. Immò etiam grauius, & pœna perpetua ſecundùm qualitatem perſonæ, contrà quam huiuſmodi ſcriptutæ eſſent, & ſecundùm earum continentiam, ac etiam ſi delinquens eſſet delinquere ſolitus. Qui verò ſcripturas ſupræſſo nomine ſcripſerit, vel miſſerit, eis prorſus nulla adhibeatur fides, nec in iudicio poſsint pœnitus aliquem afficere, ac talis puniatur, attenta conditione perſonæ offenſę, & ſcripturę continentia, ac alijs circunſtantijs, ad arbitrium Superioris.

431. Qui litteras Reuerendiſsimi Patris Generalis, aut alterius eminentioris Antiſtitis, aut eorum ſigilla falſificauerit, ſit ipſo facto excommunicatus, & tradatur perpetuæ cuſtodiæ, extrà Cõgregationem etiam ad arbitrium Reuerendiſsimi cũ Conſultoribus puniendus. Qui verò eas, aut ad eos datas aperuerit, aut interceperit, aut ab alijs hoc fieri mandauerit, vel curauerit, ſit quoque ipſo facto excõmunicatus, teneaturq; ſub arctiori cuſtodia per annum, ac interim ieiunet omnibus ſecundis, quartis & ſextis ferijs, in quibus ſextis ferijs etiàm recipiat diſciplinam, ac in fine ſubiaceat

pœnitentiæ

pœnitentię grauiori. Si quis verò falsificauerit litteras Prioris, aut Visitatorum, eorum officia concernentes, aut sigilla, deputetur custodię per biennium, ac ieiunet, & sustineat disciplinam, & pœnitentiam grauiorem, vt suprà, sitq; perpetuò priuatus voce actiua, & passiua. Si verò litteræ concernant negotia alia, puniatur vt falsarius, ac addatur priuatio perpetua vocis actiuę, & passiuæ. Qui verò eas aperuerit, aut interceperit, vt suprà, summitatur pœnæ Carceri per sex menses, & in fine pœnę grauiori. Qui autem alterius litteras, aut sigilla falsificauerit, puniatur tamquã falsarius, vt suprà. Et si eas aperuerit, aut interceperit, vel deperdiderit malo consilio, incurrat pœnam custodię per duos menses, ac in fine recipiat disciplinam in Refectorio.

432. Qui in lapsum carnis inciderit; si in fornicationem, sustineat pœnam carceris per annum, & disciplinam cum ieiunio in pane, & acqua singulis sextis ferijs, & in fine pœnitentiam grauiorem, & sit perpetò priuatus voce actiua, & passiua. Si in adulterium, addatur pœna carceris per alium annum. Si cum filia spirituali, augeatur adhuc pœna carceris, & imponatur etiam perpetua ad arbitrium Consultorij. Si aliud erit grauius crimen, plectatur pęna carceris perpetui etiam extrà Congregationem ad arbitrium Consultorij sustinenda. Consideretur tamen in prædictis omnibus & scandalũ, & frequẽtia peccati, pęnes quę augeatur, vel imminuatur pęna.

433. Qui furto res Monasterij, aut alterius subripuerit; si furtum erit infrà summam triginta aureorum, plectatur pœna carceris per sex menses, ac interim singula sexta feria sustineat pęnam grauiorẽ, & sit perpetuò priuatus voce actiua, & passiua. Si verò furtum excedat prædictam summam, aut sit cum sacrilegio, vel cum fractura, & arte valdè dolosa, vel ex consuetudine; puniatur carcere perpetuò, etiam extrà Congregationem, ad arbitrium, vt suprà.

434. Qui arma intrà sœpta Monasterij sinè Superioris licentia tenuerit, ex Clementinis sit ipso facto excommunicatus. Ex ordinationibus verò de anno 1605. & alijs: Qui quouis modo apud se, vel alium, clàm, vel apertè cuiuscunque generis arma, etiam gladios indecentes fuerit repertus habere, retinere, vel deferre sinè Superioris licentia, teneatur sub arctiori clausura, ac sit priuatus voce actiua, & passiua ad arbitrium Prępositi. Nec vllo pacto valeat excusari, etiam si assereret, talia arma sibi à personis sæcularibus fuisse ad gubernandum tradita. Et si fuerit depræhensus, ipsa malò animo, hoc est ad offendendum habuisse, aut seruasse, carceri formaliter astringatur. Quemadmodum etiam si fuerit adinuentus quolibet modo deferre, habere, vel retinere breuia tormenta, stillos, aut arma alterius generis in sæculo sub grauissimis pœnis prohibita. Quo casu, si accesserit malus animus, vel frequentia, aut consuetudo, puniatur etiam ad arbitrium Consultorij carcere perpetuò.

435. Si

435. Si quis in carcere ex obedientia ad custodiam fuerit detentus,& ab eo aufugerit, habeatur ipso facto de delictis sibi impositis pro conuicto,& confesso, ac inuocato etiam brachio Curiæ sæcularis curetur, vt iterùm ad idem, sub arctiori custodia tenendus reducatur, ac subiaceat alijs pœnis fugitiuis præscriptis. Nec valeat quolibet pacto, & sub quouis prætextu ab hoc excusari, etiam si protestaretur, contrà formam iuris se in carceribus teneri, vel contrà eum minùs regulariter procedi: Nisi ex actis, aut testimonijs fide dignis appareret, se hoc coram suo Superiore Ordinario deduxisse,& ad summum termino quindecim dierum se constitueret,ac iustificaret. Si verò teneatur ad pœnam, pœna eousq; peracta habeatur vt nulla, & reducatur, vt suprà, & addatur pœna fugitiuorum.

436. Qui verò aufugientibus auxilium re ipsa pręstiterint,etiam fuga nō sequta, habeantur, ac puniantur irremissionabiliter ipsi vt rei principales. Si verò consilio tantùm, sustineant pęnā carceris per bimestre, & in fine pęnitētiam grauiorē, & priuationē vocis actiuę, & passiuę per triennium, ac maiores pęnas secundùm grauitatem delictorum, ob quæ carceratus detinebatur, ad arbitrium Reuerendissimi.

437. Si quis sine speciali Superioris licentia ad carceres accesserit,& carceratos fuerit alloqutus,aut eis copiam scribendi, aut quidpiam aliud subministrauerit,vel ab eis receperit;vltrà pœnas per Superiores in talibus casibus particulariter imponendas,subiacebit carceri per mensem, & in fine pœnitentiæ grauiori. Sic qui auxilium ad id dederit,vel hoc fecerit per interpositam personam.

438. Hortamur itaq;, ac in Dominò ex corde Superiores monemus,vt in omnibus ex charitate procedant,delicta quidem odientes,nō personas,sed correctionem præcipuè attendentes: Et ideò habeant quidem Carceres tutos,ac remotos,sed salubres,& sanos,& eorum custodiæ deputent seruos fideles,ac diligentes,sed discretos,non contristantes &c.curentq;per aliquē ex Monachis prudentem,afflictos esse consolandos ad pęnitentiam debitè sustinendam,& ad emendationem inducendos; Et maximè vt statim à cēsuris liberentur,& per sacramentalem peccatorum confessionem,ac per internam pœnitentiam ad Deum conuertantur. Et teneantur semper cum habitu Religionis,nisi curiæ sæculari sint tradendi,& officium Diuinum dicant,ac alios fructus dignos pęnitentiæ faciant. Quòd si præstiterint, ac eos emendatos,& verè conuersos Superiores viderint, ex misericordia, secundùm quod eorum prudentiæ,& discretioni videbitur, aliquid de pęnis relaxent,vel in mitiores commutent. Vel si eorum auctoritas ad hæc non extenditur,per Prępositum Generalem id fieri curent. Sin è contrà videāt, eos esse in malo obduratos,& emendationis spem nullā præbere, detineant cū rigore in pęnitentia,ac etiā aggrauent,multò magis si pęnitētiæ executionem recusarent; Vel,vt suprà, per Prępositum Generalē id fieri curēt.

439. Præposito Generali tamquàm supræmo Pastori omnium pęnarum commutationem, vel etiam relaxationem subiacere declaramus, præter pœnas specialiter ex Statutis, vel Ordinario, aut aliundè Definitorio, aut Consultorio reseruatas, & pręter pœnam carceris perpetui, cuius commutationem quoq; Definitorio tantùm tempore Capituli Generalis, & Consultorio extrà id tempus reseruatam esse volumus.

440. In prędictis autem pœnis imponendis, & maximè grauibus, & diuturnis, ac in culpis dubijs declarandis, maturè procedāt Superiores, ac etiā Prępositus, re scilicet diligenter considerata, & perpensa, ac auditis partibus, & earum rationibus. Et in ijs, quæ sunt magni momenti, quę scilicet concernunt interesse essentiale personæ, vel perpetuam infamiam, vt priuationem Prioris, & similibus, vtantur quoq; consilio sapientum, nisi sint admodum euidentia. Admonemus etiam, non posse iusto iure remissiones, aut commutationes fieri, nisi dignis interuenientibus causis. Et ob id non se præbeant in hoc faciles, nè nimia indulgentia ansam prębeat peccandi.

441. Si culpę fuerint publicæ, & cum scandalo, pœnitentia quoq; sit publica; Vndè poterunt Superiores permittere, vt sæculares de aliqua culpa scandalizati intersint in Refectorio, vel alibi pœnitentię, vt iterùm ędificentur, quàmuis pro eorum ędificatione sufficere etiam declarēmus, vt de pœnitentia per fide dignos certi reddantur. Sin culpa fuerit secreta, secretè quoq; pœniteat qui peccauit; Quo casu poterit Superior pœnas publicas in aliàs secretas commutare.

CAPVT XXXXIX.

Summarium Ordinationū præcipuarum, quæ in Capitulis Generalibus, ac Dietis pro tempore fuerunt habitæ, & in singulo Congregationis nostræ Monasterio quolibet mense capitulariter sunt perlegendæ; ac summa diligentia per omnes nostri instituti professores respectiuè, sub pęnis in eisdem præscriptis obseruandæ.

442. PRimò sancimus, & ordinamus, vt in omnibus Monasteriorum nostrorum Ecclesijs, statutis horis deuotè, punctuatim, & distinctè Officia Diuina, iuxtà pscriptū Breuiarij Romani, ac Cōstitutionū nostrarū in Choro recitētur. Nullusq; à seruitio Chori censeatur immunis, nisi actu sit in propri officij munere occupatus, vel infirmitate, aut alio necessario impedimento detentus: Missaq; conuentualis singulis diebus, secundùm Monasteriorum laudabilem consuetūdinem in Ordinario expositam, dicatur, vel decantetur: Et Sacerdotes omnes diebus festiuis semper, & alijs frequentius, quò fieri potest, iusto tamen cessante impedimēto, celebrent. Clerici, & in Sacerdotali dignitate non constituti saltem semel in mēse propria

peccata

peccata Sacramentaliter confiteantur, & facra Euchariſtia reficiantur, ac etiam in Quadrageſsima, & Aduētu ſingula hebdomada. Aſsiduaſq; omnes ad Deum pro benefactoribus viuis, & defunctis, in communi, & particulari preces fundant, vt indè illorum animæ ſalutare recipiant refrigerium, & ſempiternam quietem, & viuentes benefactores huiuſmodi in Diuino timore, & amore perfectius ſtabiliantur, & maneant.

2. Vt in omnibus Eccleſijs, vt ſuprà, ſingulo menſe celebrentur, vel decātentur infraſcriptæ Miſſæ de Spiritu ſancto. Vna ſcilicet pro Summi Pontificis conſeruatione, ac bono Regimine, & propagatione Sāctæ Matris Eccleſię; Alia pro conſeruatione, & ſalute Illuſtriſsimi Protectoris noſtri, bonaq; noſtrę Congregationis protectione. Alia pro Reuerendiſsimo Præpoſito noſtro, bonoq; noſtræ Congregationis regimine. Alia pro Epiſcopo Diœceſano, & bono Diœceſis regimine. Et alia pro conſeruatione Principū temporalium, ac eorum ſtatuum bona directione. Et infraſcriptæ à mortuis, pręter pręſcriptas ex rubricis Breuiarij, & annotatas in tabula benefactorum. Vna ſcilicet pro Fratribus, & alia pro benefactoribus Congregationis. Idq; munus intelligatur Vicario iniunctum; in cuius executione ſi negligens reperiatur, puniatur irremiſsibiliter per Priorem pęna arbitraria, etiam ſuſpenſionis ab officio.

3. Vt in omnibus Monaſterijs, vt ſuprà, ante quamlibet refectionem fiat menſæ benedictio, ac poſt referantur gratiarum actiones ſeruata forma, vt in Breuiario, ac in menſa habeatur lectio proficua ſecūdum normam in Ordinario cap. 9. deſcriptam. Et in Monaſterijs maioribus diebus feſtiuis habeatur lectio poſt Nonam ex vitis ſanctorum; Et antè Completorium lectio ſacrę Scripturæ, vel Caſuum conſcientiæ diebus præſcriptis; Et manuteneantur lectores idonei, ac adoleſcentes in ſtudijs litterarum, quantùm fieri poteſt, promoueantur. Et non admittantur ad Ordines ſacros recipiendos, niſi præuio examine de eorum ſufficientia conſtet.

4. Vt nullus ad habitum noſtrum recipiatur, ac probationem agat, niſi in Monaſterio Hoſpitaletti, aut alijs ad hoc impoſterum, ſi fuerit opus, deſsignandis. Ac nouitij in Dei timore, & Ordinis diſciplina educentur; Et poſt profeſsionē ſaltē per triennium, vel etiam vlterius ad arbitrium Superiorū ſub particulari cura Magiſtri in arctiori vita teneantur. Seruenturq; Conſtitutiones de diſciplina facienda, culpis dicendis, ſilentio debitis locis, & temporibus ſeruando, & aliæ, ex quibus præſertim dependet Monaſticę obſeruantiæ conſeruatio.

5. Vt ſaltem ſingulis menſibus eis capita indifferenter abradantur, ac etiā Conuerſis, & Commiſsis ſecundum formam, vt in Statutis; Sacerdotibus verò ſaltem ſub forfice tundantur, ac etiam barbæ, & capillorum eleuatio, vel inequalitas nullatenus permittantur, decentiaq; ac modeſtia in victu, habitu, cellarum ornatu, & in omnibus alijs appareat; Et in hoc maximè

inuigilent Superiores.

6. Nè Monachi, vel Fratres ſcepta Monaſterij ſub quouis prætextu, niſi licentia à Superiore ſingulis vicibus, ac benedictione in eundo, & reuertendo accepta egrediantur; Reſpectu verò Monaſteriorum in Ciuitatibus, & oppidis populoſis exiſtentium, niſi bis in menſe; Præter Oeconomũ, ſi tamẽ aliter neceſsitas non cogat; & ſint bini, ac cucullati. Nec itinerantes poſſint à Monaſterio longius recedere pernoctando, vel ad alia Congregationis Monaſteria diuertere, niſi licentią à Reuerendiſsimo in ſcriptis obtẽta, ſub pœnis, vt in Ordinario cap. 15 Et nulli liceat ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſsiuę ipſo facto incurrenda, ac carceris ad arbitrium Reuerendiſsimi ad Monialium Monaſteria accedere. Nec ſub quouis prætextu ſub eadem pęna ad Vrbem arripere iter ſinè ſpeciali licẽtia in ſcriptis Illuſtriſsimi Protectoris, vel Reuerendiſsimi Patris Generalis.

7. Nulli liceat cuique ſinè Superioris licentia litteras ſcribere, vel mittere, aut ſibi miſſas aperire, vel legere, ſed ſtatim Superiori eas perlegendas exhibere teneatur, ſub pœna grauis culpæ, ad arbitrium Superioris. Quemadmodum ſcriptæ, ſi ità Superiori expedire videbitur, manu eiuſdem Superioris erunt obſignandę. Nec etiam munera cuiuſlibet generis mittãtur, aut recipiantur ſub pœnis in Conſtitutione de largitionibus munerum Regularibus interdictis, per Clementem VIII. ædita, contentis.

8. Nulli liceàt bona immobilia, vel mobilia tamquam propria poſsidere, habere, retinere, vel eis quomodolibet vt proprijs vti, ſed ſtatim Monaſterio incorporentur ſub pœna priuationis vocis actiuę, & paſsiuæ per biennium, ex Concilio Tridentino Seſſ. 25. Cap. 2. Ac ad omnem Superioris nutum, & mandatum teneatur quilibet quæcunq; apud ſe, vel interpoſitam perſonam mediatè vel immeditè ad vſum conceſſa habuerit, Superiori ipſo conſignaſſe, & actu tradidiſſe ſub pœna, vt ſuprà, & maiori Superiori arbitraria.

9. Vt in quolibet Congregationis noſtræ Monaſterio habeatur, & ſeruetur arca communis trium clauium, diuerſæ clauaturæ, quarum vna maneat pœnes Priorem, & aliæ duæ in duorum Monachorum manibus in Capſores eligendorum, qui vnà cum Priore, vel ſaltem vnus eorum, iuſto interueniente alterius impedimento, ſemper perſonaliter interſint, quotieſcunq; pecuniæ in arca ſunt immitendæ, vel ex ea extrahendæ pro vſu Monaſterij, & non aliter. Et vnus eorum in quinternulo particulariter in ipſa arca deinceps ad hunc effectum aſſeruando eas propria manu adnotet, dùm immittuntur, & ab alio latere Oeconomus quæ extrahuntur; Ac vtrique Capſores vnà cum Priore notas expenſarum eis per Oeconomum ſaltem ſemel quolibet menſe, vel etiam, ad nutũ Prioris, in fine cuiuslibet hebdomadæ exhibendas teneantur diligenter examinare, & mediantibus proprijs ſubſcriptionibus approbare, vel reprobare. Quemadmodum Oeconomus teneatur

neatur omni vti diligentia, vt pecuniæ redituum, & prouentuum Monasterij quamprimùm exigantur; Et Prior vt exactæ breui manu, & incontinenti in prędicta arca reponantur, ac vnà cum notis expensarum, vt suprà, admissarum in libris magistralibus Monasterij referantur, per Monachum probum, & Sacerdotem in his versatum ad hoc deligendum, & distinctè perscribantur; Et eorum ratio toto Monachorum Conuentui in fine cuiuslibet mensis capitulariter reddatur, de expensis scilicet illo mense factis, ac iterùm generaliter in fine cuiuslibet anni, de omnibus videlicet expensis toto anni decursu habitis, ac tũc etiam ratio dati, & accepti summatim calculata, quàm vocamus statum Monasterij, referatur, & hoc iterùm vniuersalius in fine triennij de toto regimine repetatur: Ità tamen vt nec Prior, nec Oeconomus, nec Monachus qui scripsit, possit expensarum partitas, dùm Capitulo ratio redditur, perlegere, sed hoc fiat per alium Monachum professum, vt suprà, deligendum. Libri autem ipsi Magistrales vel asseruentur in arca communi vnà cum præfatis expensarum notis, vel apud Priorem, vel apud Monachum in Scribam electum, dùm sunt inscribēdi ad arbitrium Prioris. Nullo tamen pacto nec Prior, nec Oeconomus, nec quilibet alius præter electum, possit in prædictis libris scribere, nec in illis ad delendum, addendum, immutandum, aut quouis alio simili modo manum apponere. Nec prædicti libri Magistrales Monasteriorum vllo deinceps tēpore deperdantur, aut annullentur, nisi de speciali consensu Definitorij, vel Præpositi Generalis, & tunc nisi reddita ratione non solum Capitulo particulari Monasterij, sed etiam Visitatoribus, & Pręposito Generali, ac per eos approbata. Sicut nec notę expensarum, & quinternuli Capsæ communis, & Mercatorum Monasterio inseruientium possint annullari, vel deperdi, nisi reddita ratione, & approbata, vt suprà. Et hæc omnia obseruentur inuiolabiliter, & indifferēter in quolibet Monasterio sub pęnis respectiuè eis, quibus prædictorum executio incumbit, suspensionis, vel etiam priuationis, ad arbitrium Præpositi. Ac contrà Priores transgressores vt de mala administratione suspectos teneantur Visitatores, & Prępositus ipse sinè mora, & omni iure adhibito irremissibiliter procedere.

10. Vt in quolibet Monasterio habeatur, & seruetur Archiuium, locus scilicet idoneus ad scripturas Monasterij publicas tenendas, & conseruandas; In quo ex ordine dispositæ vnà cum earum Indice, seù Repertorio imposterum actu teneantur, & conseruentur. Et quotiescunq; sunt aliqua necessaria de causa, & non aliter extrahendæ, extractarum, ac personæ, cui fuerint consignatę, memoria in libello particulari fiat. Habeatur etiam, & asseruetur liber particularis, in quo instrumenta omnia, & scripturæ momenti, quæ secundum temporum decursum pro interesse Monasterij, aut bonorũ, vel personarum eius fieri deinceps continget, describantur, si fieri potest, ex autentico, alioquin earum copię, vęl saltem memoria cum nota summaria

conten-

contentorum, temporis, & Notarij, qui ea actitauit. In Monasterio verò Hospitaletti, prçter archiuium Monasterij, habeatur etiam archiuium publicum Congregationis, in quo teneantur, & seruentur omnes scripturæ publicæ concernentes interesse commune Congregationis, etiam Bullæ Pontificiæ, & Priuilegia, cuius cura intelligatur demandata Reuerendissimo Prçposito, ac Patribus Depositarijs Congregationis pro tempore futuris; Et hæc sub pœna Reuerendissimo arbitraria.

11. Vt ostia Monasterij horreis imposita, in quibus triticum, & cœtera omnia segetum, ac collectarum genera legaliter, & sincerè tempore collectionis frugum sunt reponenda, duabus clauibus diuersæ clauaturæ muniãtur, & custodiantur, quarum cura demandetur duobus, vt suprà, eligendis: ijq; semper sint præsentes, vel saltem vnus, iusto interueniente alterius impedimento, quotiescunq; prædicta pro vsu Monasterij sunt extrahenda. Et tàm extracta, quàm imposita annotentur distinctè in quinternulo particulari, per Priorem, & Capsores approbando, ac in libris Magistralibus per Scribam, vt suprà, referantur. Dùmq; segetes, post triturationem in horrea immittuntur, vel vina in Cella Vinaria post Vindemias, eorum quoq; nota distincta in particulari libello per duos, vel saltem vnnm à Priore deligendos fiat, approbanda, & transferrenda, vt suprà. Et hçc omnia sub pœnis vt in ordinatione 9.

12. Vt circà çdificia construenda, vel destruenda, vel etiam restauranda seruentur quæ ex Ordinario cap. 36. mandantur sub pœnis, vt suprà. Nec etiam Priores possint concedere licentiam agrorum, aut locorum conductoribus, seù Colonis partiarijs faciendi expensas circà hæc, quæ excedant valorem aureorum vigintiquinq; sinè expresso proprij Capituli consensu, & re etiam cum Præposito Generali participata. Non differant tamen, nec ommittant, cum imminet periculum, vt ibidem.

13. Nè Prior vel Oeconomus possint bona stabilia, seù fundos Monasterij locare, nisi re proprio Monasterij Capitulo cum pactis, & conditionibus exposita, & de eius cõsensu, & approbatione. Ac in locationibus possessionum, ac tenutarum, propositis etiam in publicũ cedulis, seù monitionibus, & in locationibus ad longum tempus, interueniente quoq; auctoritate, & Decreto Capituli Generalis, vel Præpositi, & seruatis alijs seruandis. Nec possint occasione prædictarum locationum solutiones anticipatas constituere, vel accipere, aut aliter quomodolibet fructus, aut redditus ad futuros annos, maximè regiminis alterius Superioris spectantes, prçripere. Nec tandem pecunias, vel alia à prædecessoribus conductoribus, siuè Colonis partiarijs in subsidium, & vt diciiur, scortam datas, consumere, sub pœnis, vt suprà. Et multò minus Capitalia vndecunq;, & quomodolibet prouenientia distrahere, nisi ex casu summæ necessitatis, ex particulari concessione Præpositi Generalis, & assensu proprij Capituli sub pçna priuationis ipso

facto,

facto. Nec deniq; arbores fructuosas, vel vtiles, & vulgò appellatas da cima, nisi ad vsum necessarium Monasterij, vel ad agros meliores reddendos, ę prius per proprium Capitulum approbata, & de Reuerendissimi etiam licentia, & in libris etiam Magistrulibus earum quantitate, & prętio descriptis, possint incidere, vel deradicare, vel quouis modo destruere, sub pęna suspensionis ipso facto Priori, & Oeconomo priuationis incurrendæ.

14. Vt eleemosynæ ad Monasterij limina pauperibus indigentibus fiant sinè vlla intermissione, secundùm cuiuscunq; Monasterij probatam consuetudinem, & posse, & in hoc inuigilent Priores; Nec valeant tamen ipsi, nec Oeconomus, sinè proprij Capituli assensu, eleemosynas extraordinarias notabilis quantitatis nec ex pecunijs, nec ex commestibilibus, vel alijs facere, sinè proprij Capituli consensu, sub pœna Reuerendissimo arbitraria.

15. Nè Superiores in Monasterio, vltrà triduum, aliquem hospitio detineant, nisi talis persona esset, quam ob eminentiam, vel benemerita eijcere scandalum foret. Triduum autem intelligimus, computatis diebus aduentus, & recessus. Exules autem, vel iustitiæ suspectos, aut ab ea fugitiuos, contumaces, vel scandalosos penitus recipi, vel detineri prohibemus. Quod si ad Ecclesiam, vel Monasterium ob immunitatem aufugerint, & in illis ipsi se intromiserint, quamprimùm tutò eis egredi licebit, curent, vt egrediantur; alioquin nulla ministeria, aut beneficia illis suppeditentur, sub pœna, vt suprà.

16. Nè Priores Monachos, aut Fratres, nisi ob casus grauis culpæ, & condignos in carceribus detrudere, vel contrà eos processus fabricare valeant. Et tunc re ad Præpositum Generalem statim delata, & nisi de eius licentia processum prosequi valeant sub pœna Reuerendissimo arbitraria. Teneantur tamen ipsi, quomodocunque simpliciter obedire, sub pœna pœnitentiæ grauioris.

17. Vt Priores debitis temporibus Monachis, & Fratribus suorum Monasteriorum eorum vestiaria secundùm consuetudinem Congregationis, & Monasteriorum erogare teneantur. Non tamen possint pecuniam pro vestimentis, sed dùmtaxat vestimenta ipsa, ad cuiusq; maiorem indigentiã, secundùm quantitatem in Ordinario præscriptam suppeditare. Eosq; decenter, & conuenienter tractent in victu, secundùm Congregationis, & Monasteriorum probatam consuetudinem. Ac ieiunia & abstinentias Ecclesię, & Congregationis obseruari faciant. Et vt ægrotis, ac ex recentibus infirmitatibus debilibus debita, ac opportuna seruitia, & beneficia cum charitate subministrari curent, sub pœna, vt suprà.


18. Nè Monachi extrà proprias Congregationis Ecclesias rem Diuinam faciant, seù (vt vulgò dicitur) Missas celebrent, præsertim conuentione de mercede facta, vel intuitu mercedis. Nec ad funeralia seù officia mortuorum celebranda in alienis Ecclesijs eant, vt suprà, sub pœna Reuerendissimo

dissimo arbitraria. Neq; Priores circà hæc licentias concedant, aut prædi-
cta permittant, sub pœna suspensionis ad arbitrium, vt suprà.

19. Vt Reuerendissimus Præpositus Generalis omni diligentia inuigilet, nè Congregatio, vel Monasteria debita contrahant, aut ære alieno grauentur; Contrà Superiores, quorum culpa, aut negligentia hæc euenire prospexerit, statim, & sinè temporis mora procedendo, & eos debitis pœnis afficiendo. Et etiam cum temporum ieiunia, & malo rerum euentu, absq; Officialium culpa, Monasteria egestate laborare, ac se non posse eximere à debitis animaduerterit, necessaria ex communi Depositaria, si fieri poterit, subministrando.

20. Vt idem Reuerendissimus in vniuersa Congregatione, ac Priores etiã respectiuè in eorum Monasterijs, in quantùm omni opera adhibita fieri posit, curent, & in hoc zelum proprij officij maximè ostendant (super quod eorum conscientias præsertim oneramus) vt Monasticam disciplinã illibatam sustineant, & in his Ordinationibus contenta, & hæc, ac alia fusius in Ordinario explicata, & quęcunque in Regula, & Statutis secundùm nouam reformationem traduntur, exequtioni demandentur, & inuiolabiliter ab omnibus obseruentur, sub pœnis in eisdem pręscriptis; alioquin ab eodem Reuerendissimo ad eius arbitriũ, attenta pręsertim culparum qualitate imponendis. Ob idq; in mensa, vel alibi pleno Capitulo in Monasterijs omnibus Ordinationes huiusmodi, necnon Regulam, & Statuta, ac ex Ordinario ea capita, quę sunt de culpis, & pœnitentijs saltem semel in mense; reliqua verò ex eodem Ordinario secundùm eorum vsum, sub pœna suspensionis ad arbitrium, vt suprà, Superiores legere facere teneantur.

Ad laudem omnipotentis Dei, qui est benedictus in sæcula. Amen.



INDEX

INDEX CAPITVM.

Quæ in Ordinario continentur.

CAPITVM.

37 De.

INDEX.



INDEX ALPHABETICVS

RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ in toto hoc volumine, ſcilicet Regula, Statutis, ac Ordinario ſparſim habentur.

Prior numerus refertur ad paginas, poſterior ad materias per numeros deſignatas.

A

B

Bene-

197

Cæremonię

Generalis

contentorum,temporis, & Notarij, qui ea actitauit. In Monasterio verò Hospitaletti,prçter archiuium Monasterij, habeatur etiam archiuium publicum Congregationis,in quo teneantur,& seruentur omnes scripturæ publicæ concernentes interesse commune Congregationis,etiam Bullæ Pontificiæ,& Priuilegia,cuius cura intelligatur demandata Reuerendissimo Prçposito,ac Patribus Depositarijs Congregationis pro tempore futuris; Et hæc sub pœna Reuerendissimo arbitraria.

11. Vt ostia Monasterij horreis imposita,in quibus triticum, & cœtera omnia segetum,ac collectarum genera legaliter, & sincerè tempore collectionis frugum sunt reponenda,duabus clauibus diuersæ clauaturæ muniãtur,& custodiantur,quarum cura demandetur duobus,vt suprà, eligendis: ijq; semper sint præsentes,vel saltem vnus, iusto interueniente alterius impedimento,quotiescunq; prædicta pro vsu Monasterij sunt extrahenda. Et tàm extracta,quàm imposita annotentur distinctè in quintemulo particulari,per Priorem,& Capsores approbando, ac in libris Magistralibus per Scribam,vt suprà,referantur. Dùmq; segetes,post triturationem in horrea immittuntur,vel vina in Cella Vinaria post Vindemias,eorum quoq; nota distincta in particulari libello per duos,vel saltem vnnm à Priore deligendos fiat,approbanda,& transferrenda,vt suprà. Et hçc omnia sub pœnis vt in ordinatione 9.

12. Vt circà çdificia construenda,vel destruenda, vel etiam restauranda seruentur quæ ex Ordinario cap.36. mandantur sub pœnis, vt suprà. Nec etiam Priores possint concedere licentiam agrorum, aut locorum conductoribus,seù Colonis partiarijs faciendi expensas circà hæc, quæ excedant valorem aureorum vigintiquinq; sinè expresso proprij Capituli consensu,& re etiam cum Præposito Generali participata. Non differant tamen, nec ommittant,cum imminet periculum,vt ibidem.

13. Nè Prior vel Oeconomus possint bona stabilia,seù fundos Monasterij locare,nisi re proprio Monasterij Capitulo cum pactis,& conditionibus exposita,& de eius cõsensu,& approbatiõe. Ac in locationibus possessionum,ac tenutarum,propositis etiam in publicũ cedulis, seù monitionibus, & in locationibus ad longum tempus,interueniente quoq; auctoritatè, & Decreto Capituli Generalis,vel Præpositi,& seruatis alijs seruandis. Nec possint occasione prædictarum locationum solutiones anticipatas constituere,vel accipere,aut aliter quomodolibet fructus, aut redditus ad futuros annos,maximè regiminis alterius Superioris spectantes,prçripere. Nec tandem pecunias,vel alia à prædecessoribus conductoribus, siuè Colonis partiarijs in subsidium,& vt diciiur,scortam datas, consumere, sub pœnis, vt suprà. Et multò minus Capitalia vndecunq;, & quomodolibet prouenientia distrahere,nisi ex casu summæ necessitatis,ex particulari concessione Præpositi Generalis,& assensu proprij Capituli sub pçna priuationis ipso

facto,

facto. Nec deniq; arbores fructuosas, vel vtiles,& vulgò appellatas da cima, nisi ad vsum necessarium Monasterij, vel ad agros meliores reddendos, te prius per proprium Capitulum approbata, & de Reuerendissimi etiam licentia, & in libris etiam Magistrulibus earum quantitate,& pretio descriptis, possint incidere, vel deradicare, vel quouis modo destruere, sub pęna suspensionis ipso facto Priori,& Oeconomo priuationis incurrendæ.

14. Vt eleemosynæ ad Monasterij limina pauperibus indigentibus fiant sinè vlla intermissione, secundùm cuiuscunq; Monasterij probatam consuetudinem, & posse, & in hoc inuigilent Priores; Nec valeant tamen ipsi, nec Oeconomus, sinè proprij Capituli assensu, eleemosynas extraordinarias notabilis quantitatis nec ex pecunijs, nec ex commestibilibus, vel alijs facere, sinè proprij Capituli consensu, sub pœna Reuerendissimo arbitraria.

15. Nè Superiores in Monasterio, vltrà triduum, aliquem hospitio detineant, nisi talis persona esset, quam ob eminentiam, vel benemerita eijcere scandalum foret. Triduum autem intelligimus, computatis diebus aduentus, & recessus. Exules autem, vel iustitiæ suspectos, aut ab ea fugitiuos, contumaces, vel scandalosos penitus recipi, vel detineri prohibemus. Quod si ad Ecclesiam, vel Monasterium ob immunitatem aufugerint,& in illis ipsi se intromiserint, quamprimùm tutò eis egredi licebit, curent, vt egrediantur; alioquin nulla ministeria, aut beneficia illis suppeditentur, sub pœna, vt suprà.

16. Nè Priores Monachos, aut Fratres, nisi ob casus grauis culpæ,& condignos in carceribus detrudere, vel contrà eos processus fabricare valeant. Et tunc re ad Præpositum Generalem statim delata, & nisi de eius licentia processum prosequi valeant sub pœna Reuerendissimo arbitraria. Teneantur tamen ipsi, quomodocunque simpliciter obedire, sub pœna pœnitentiæ grauioris.

17. Vt Priores debitis temporibus Monachis, & Fratribus suorum Monasteriorum eorum vestiaria secundùm consuetudinem Congregationis,& Monasteriorum erogare teneantur. Non tamen possint pecuniam pro vestimentis, sed dùmtaxat vestimenta ipsa, ad cuiusq; maiorem indigentiā, secundùm quantitatem in Ordinario præscriptam suppeditare. Eosq; decenter, & conuenienter tractent in victu, secundùm Congregationis,& Monasteriorum probatam consuetudinem. Ac ieiunia & abstinentias Ecclesię, & Congregationis obseruari faciant. Et vt ægrotis, ac ex recentibus infirmitatibus debilibus debita, ac opportuna seruitia,& beneficia cum charitate subministrari curent, sub pœna, vt suprà.

18. Nè Monachi exttà proprias Congregationis Ecclesias rem Diuinam faciant, seù (vt vulgò dicitur) Missas celebrent, præsertim conuentione de mercede facta, vel intuitu mercedis. Nec ad funeralia seù officia mortuorum celebranda in alienis Ecclesijs eant, vt suprà, sub pœna Reuerendissimo

192

INDEX CAPITVM.

Quæ in Ordinario continentur.

Bb 17 Circà

CAPITVM.

37 De.

193

INDEX.



INDEX ALPHABETICVS

RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ in toto hoc volumine, ſcilicet Regula, Statutis, ac Ordinario ſparſim habentur.

Prior numerus refertur ad paginas, poſterior ad materias per numeros deſignatas.

A

B

Bb Bene-

ALPHABETICVS.

Cæremonię

D

Ad

Generalis

INDEX

G

Inuen-

N

Ad

INDEX

Regula

ALPHABETICVS.

R

S

T

Vestibus

V

F I N I S.

199

TICINI

Iacobus Ardizzonius,

ET

Io. Baptista Rubeus

TYPOGRAPHICAM

Vnà Facientes

EXCVDEBANT.

ANNO

MDCXIIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

TICINI

Iacobus Ardizzonius,

ET

Io. Baptista Rubeus

TYPOGRAPHICAM

Vnà Facientes

EXCVDERANT.

ANNO

MDCXIIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

FINE
R